B V J C
390108
I
Mag. St. Dr.

nie dostępny egz.
1236 | II. S. J
Sz. 19.
P. 7.
V
B J
C
390108
I
Mag. St. Dr.
1520

UMBRA
LIGATÆ
Præcursio Solutæ
ELOQUENTIÆ
projecta in Lucem.


Auctore
P. ADAMO MALCZEWSKI
Societatis JESU Theologo.

Annô Salutis
M. DCC. XL. VII.

[illegible] quot stemmata Florem?

POSNANIÆ
Typis S. R. M. Clari Collegii Societatis JESU.

390108
I
Bibl. Jag.
Podh. 789.



Circumdant trabeata unum quot ſtemmata Florem?
Omne Decus numerat prægrediturq; ROSA.
Aſtra, Tagusq; triplex, Cruce Dux, & acinace, Mavors,
Vix capiunt Dotes, FLOS THEODORE, Tuas.

AD ILLUSTRISSIMUM
DOMINUM DOMINUM
THEODORUM
Comitem de Iwanowice
KOZMINSKI,
ILLUSTRISSIMI ac EXCELLENTISSIMI
DOMINI DOMINI
MATHIÆ
Comitis de Iwanowice
KOZMINSKI,
Palatini Calissiensis
Albæ Aquilæ Equitis,
Optimæ Spei Filium.

DEDICATIO.

Umbris lucubratoriis eductum opus, Tuo Nomine collustrari; Tuis in solem prodire gestit auspiciis. Tantis enim Te, Juvenum Lectissime, *cùm alti sanguinis; tum Animi excelsitas, insignivit muneribus; ut humaniores scientiæ certatim Te ambiant, tanquàm rei literariæ dulce decus, & præsidium. Condecoras mirificè, attollisq; studia, quæ pertractas: ex Sanctissima juxtà, ac Vetustissima* ROSINORUM *Stirpe, Flos Coronarius; ex Nobilissima Athenæi Posnaniensis Juventute, Florum Princeps. Ludi Athleta Oratorii, Candidatum agis, ad rapiendum Eloquentiæ Principatum. Virtutes enim Ingenii Tui, percipiendis Artibus ingenuis appositissimæ; prompta non coacti studii exercitatio; Indoles amore scientiarum flagrantissima; non jam primos igniculos, sed manifestum iter ostendunt, ad quantum olim splendorem assurget in Te Vis Oratoria.*

Traxisti ex Paterna majestate, omnes gratiarum illecebras in vultum; in linguam, nectar Platonis Atticum; vigorem & nervum Rationis in eloquium; comitatem in responsis, perspicaciam & pondus in sententiis; in totum Te, omnium præstantiarum dotes, omnium dotum præstantias, cum placida altæ mentis suavitudine: ut jam ad aggrediendam Rempublicam, ad gerendum in Comitiis, in Regum Palatiis, pro dignitate,

Oratorem, parum aliquid, præter ætatem, desideres. Ut singulare decus politioribus confers Musis; ita & præsidium. Certissimam enim immortalitatem polliceris Libris, quos Capitis Tui dignaris hospitio. Dignitas etiam Tua Patritia, ut ad omnium Spes Honorum Te admovet; ita Optimarum disciplinarum honor, Tecum enutritus, Tecum augescens, in eminens enatabit fastigium.

Libellus equidem, non ejusmodi seu venæ, seu limæ est; ut alicui, dignus invidiæ telis videri possit: offensionem livoris, qui summa nonnisi lacessit, meretur minimè, veretur minimè. Ab omni tamen petulanti æmulatione, diligit receptum; non alium, nisi Jllustrissimæ Tuæ Domûs *invitantia limina, Palatinis Fascibus laureata. Hìc ego, inter Majorum Tuorum Imagines agnosco, & lego, quidquid unquam in Republica, Claritudine eminuit. Singulos si persequar, infinitus sum. Unum nequeo præterire: Celsissimum* THEODORUM POTOCKI *Archi-Episcopum Gnesnensem, Poloniarum Primatem, Primumq; Principem. Tuus Ille Proavunculus: Tu ex Matre* MARIANNA de POTOCCIIS, *Petri Palatini Czerniechoviensis Filia, sangvis Ipsius avitus es. Quantus? quàm cuivis altissimo Honori par ille erat Princeps! Politicæ Sapientiæ prædivina juxtà, ac religiosissima Mens, non unius Regni, sed orbis totius placandis, coërcendisq; procellis idonea. Nominavit Regem, quem servandæ Poloniæ fortunatissimum futurum perspexit; Regem adoravit, quem tranquillandæ, æternandæq; Reipublicæ, Cælum declaravit Utilissimum. Servavit intaminatam fidem Electo, probavit Coronato. Utriq; dilectus citra censuram; utriq; citra invidiam, Magnus. Constantissimæ Virtutis æstimationem, apud unum obtinuit; auxit apud alterum; apud Famam possedit immortaliter. Memorabitur Theodori Primatis Nomen, quamdiu Polonum stabit. Alterum ævi sui Lycurgum, dicent:* cujus quamdiu Spartha diligens fuit, excellentissimè floruit. *

Ab Atriis Senatoriis, ad Cor ducimur. Ita enim nominare decet Illustrissimum Parentem Tuum, Palatinum Calissiensem. *Cujus*

* Velleius L. Histor: 1.

jus Purpura, ut Univerſæ Nobilitatis Ducatu Princeps eſt; ita regnat in Cordibus, animisq; ſingulorum: non ex fortunæ ſupercilio, ſed ex amore tenerrimo, in maximam proclivi obſervantiam. In Campo electionis, quem, ad Regni Diadema, Primus ſuffragatione prodidit; ſuæ totius Provinciæ vocum libertatem conſonam elicuit: facile in Interpretem tranſeunte omnium Voluntate; qui prius Omnium Mentes occupaverat, Omniumq; Corda in ſe uno erant. Quidni verò innoxia popularitate publicè polleat, tantus Ingenii Candor? tanta Animi rectitudo! tanta Conſiliorum Sanctitas! tanta Æquitatis religio. Quoties Ille animam Indigenis, deſperatione remedii cadentibus inſpiravit? Civiles Ordinum; privatas Civium ſimultates, qua felicitate arguit, & placat? quâ integritate perplexa librat Judicia? Sive pro Tribunali Radomienſi Electus Præſes; ſive Commiſſionum Fiſci Poſnaniæ Moderator, jus dicit; cadere ſe coram, neq; lacrymæ, neq; rectiores cauſæ poſſunt: nemo expalleſcere, præter auri petulantiam. Unum i-

ſtud

ſtud crimen eſt, quod tentare forum non auſit, aut clàm irrepere illo Judice: cùm Ejus integerrima recti mens, Juſtitiæq; devotiſsima, aureo pugno inviolabilis eſſe noſcitur. Ut ego mihi, meæq; lucubratiunculæ, felicitatem hanc vehementer gratulor! quòd tanti Senatoris trutinâ cenſeri merebitur. Litem de Vitiis, & Virtutibus ſtyli Oratorii, enarrat illa potiùs, quàm diſcutit. Quis litem hanc liquidiùs expendet? penetrabit profundiùs, diſtingvet ſubtiliùs? dijudicabit conſultiùs? componet feliciùs, ut Ille? Quis Libellum carpere, criminarivè præſumet? ſi purpurato calculo, indemnem defenſumq; Ille declaraverit? in Cujus ſententiam pedibus ire ſolet Curia; manibus pedibusq; Provincialia Comitia. Quid? ſi inſuper mutuò ſibi conſenſerint Fratres Tergemini? ſi Illuſtriſsimi Domini: IGNATIUS, & LEO, KOZMINSCII: *Alter Schovenſis Terræ Aquilifer; Alter Caſtri Schovenſis, pro Rege, Judex, Regiusq; Satrapiæ Præfectus, ſubſcripſerint Fraternæ Palatinæ pronuntiationi? Præſtantiſsimorum ad Generalia Regni Comitia*

Orato-

Oratorum, auctus Liber, ornatusq́ suffragiis, novam induet superbiam. Atq́ adeò summissionis profundæ personam sumet. Non enim duntaxat ut asylum Tuos, Illustrissime THEODORE, *Penates, studia nostra percolunt; sed ut augustale gratiarum. Certabant unanimi, quia germanissimâ; pugnaci, quia æmula consensione, Illustrissimi Comites,* ADAMUS KOZMINSKI, *Castellanus Rogosnensis, &* ANNA de Kożminsciis BUŁAKOWSKA, *Posnaniensis Pocillatrix, ut benefica, erga Societatem JESU, voluntate invicem superarent. Ille in Majoris Poloniæ Collegia Largitor liberalissimus, immortalem Mecænatis titulum; Hæc erga Posnaniensem, Calissiensem, Głogoviensem, Schovensem Societatem, prolixè munifica, de omnibus meritum Matris retulit. Tanquam autem ab his, in Illustrissimum Progenitorem Tuum, cum Sangvine devolutum esset par promeriti officium; ita successionis quodam tramite, effundunt se indesinenter, Vestra, in nos, beneficia. Quid in partem tributi persolvemus? in pignus grati animi,* veniat

veniat Libellus. Ex quo, si quid ad Optimos Juvenes (neq́ enim dicere mihi sumo: ad Rempublicam) utilitatis permanaverit; Tibi gratificabuntur universi, Tibi obligati, Tibi, ex munere, obnoxii vivent: Tu Patriæ, Tu Honoribus, Tu gloriæ, Vive & Vale. Subscribit publicis Votis, Tuo Nomini impensiùs deditus.

Auctor.

THOMAS DUNIN
Præpositus Provincialis Soc: JESU per Poloniam.

CUm Opus quod inſcribitur *Umbra ligatæ, & præcurſio Solutæ Eloquentiæ &c.* aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi facta ab A. R. P. Noſtro FRANCISCO RETZ, Societatis Noſtræ Præpoſito Generali; facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has Literas manu meâ firmatas, & ſigillo munitas dedi. Craſnoſtaviæ 13. Octobris. Anno 1746.

THOMAS DUNIN Soc: JESU.

(L. S.) *mpp.*

APPROBATIO.

JOSEPHUS Comes de Werbno
PAWŁOWSKI,
S. Th: D. Archidiaconus in Eccleſia Cathedrali Pſcevenſi, Vicarius in Spiritualibus, & Officialis Generalis Poſnanienſis.

UNiverſis & Singulis, quorum intereſt, notum facimus, quòd Nos operi Rdi P. ADAMI Skarbek MALCZEWSKI, Soc: JESU Theologi: Cui titulus eſt: *Umbra Ligatæ, Præcurſio ſolutæ Eloquentiæ*, aliàs ab A R. P. FRANCISCO RETZ, ejuſdem Societatis Præpoſito Generali, ut in lucem dari poſſet, probato, Authoritate Officii Noſtri, poteſtatem facimus, quò in publicam, præcipuè Juventutis Humaniorum Literarum Studioſæ, Claſſica Latinitate imbuendæ, utilitatem, imprimatur. In quorum fidem, haſce dedimus. Poſnaniæ Die 25. Menſis Novembris. Anno Domini 1746.

JOSEPHUS PAWŁOWSKI,
Officialis Generalis Poſnanienſis.

mpp.

UMBRA LIGATÆ ELOQUENTIÆ.

1820 года Декабря
27 дня Сія книга
[illegible]
[illegible]
[illegible] Студентъ
[illegible]
[illegible]
[illegible] Записалъ
[illegible]

LIBELLUS
ad Zoilum.

Zoile, quid carpis? Non ſum tibi dapſilis eſca:
Non ſapit ad ſtomachum futilis umbra tuum.
Paſcere nobilibus libris, quêis carmine parta
Invidioſa tuæ Fama ſagina gulæ eſt.
Me noctes genuere umbram: cunabula Phæbus
Attigit, & juſſit lumen herile ſequi.
Ille, ſuper convexa, pares vehit axe Pöetas;
Nos exile genus, pulvis & umbra ſumus.
Repere laboſis ſubfuſcula cogor arenis,
Et perſonati fingere ſpectra ſitûs.
Sive Epicum poſcas Virum & arma ſonare Maronem;
Mortua ſemineci perſtrepit umbra ſono.
Reddere Peligni ſêu fert amor otia plectri:
Obſcurum in ſalebris, hæret & horret opus.
Non his invidiam, dentes non provoco momos:
Carptor habes, ſi vis rodere, grande nihil.
Sed cave, qui geſtis lacerare procaciter umbram:
Vexantem feriet, vulneris ipſa rudis.
Percute, tunde, ſeca: valet integra puraq; damni:
Una ſibi vita eſt, integritatis honor.
Ah! fruſtra monui. Figmenta umbratica pungit
Vipereâ mordax vituperator acu.
Opponit clypeum: clypeus ſibi ſufficit Umbra:
O! pudor! à nihili Zoilus hoſte cades.

Metra (inquit) nimiæ fuliginis obſita limo:
Limoſus caput eſt fertilitatis ager.

Nil ti-

Nil tibi fulgoris, nil luminis indit Apollo.
Falleris; eſt Phœbi ſcriptilis umbra genus.
Tolle jubar; perit umbra, perit numerabile tempus:
Tolle umbram; nil quod Cynthius edat, erit.
Omnis inops veneris Muſa eſt. *Sed opaca venuſtat*
Laudis Apellææ maximus umbra labor.
Vulturio quidquãne putem pulchrũ eſſe colori?
Idem Aquilis, mundi ſceptra, tenere dedit.
Nil, quo vivat, habet, Riphæis alſior umbra:
Quin vitæ nullus, me ſinè, motus erit.
Non ratio, non ingenium conceditur umbræ:
Quin ità verſuta eſt, luminibusq; ſagax,
Vertitur in conos, & acumine ſignat Olympum,
Metaq; Pyramidum quàm ſit acuta, docet.
Utile dulce nihil ſtruis averſabile ſpectrum:
Sole quid utilius, ſi levet umbra facem?
Tempora mentitur, Solem audet dicere falſum
Machina ponderibus docta rotare diem:
Quis vitium reteget? Solem verum eſſe Magiſtrum,
Solaq; veridicos edocet umbra polos.
I procul! atrati pulligo evanida fumi:
Non eſt fullonum Caſtalis unda latex.
Zoile, te damnas: te pingunt carmina: namq;
Lurida, livori ſublinit umbra notam:
Te mora depaſcet, tua te Lolligo vorabit:
Me neq; cuncta vorans blatta, nec ignis edet.
Dum juga ſublimi Permeſſia vertice ſurgent,
Umbra erit Aonii fronsq; Sororq; Chori.
Dum Phœbum alta manent, umbræ lucisq; parentem;
Umbra triumphatrix, filia Solis erit.

Pòéſis Elegiaca.

SANCTI STANISLAI KOSTKA POLONI

Societatis JESU Novitii Desideria, Virtutes, Affectus & Actus Heroici. ELEGIACIS EPISTOLIS ad similitudinem redditi.

PROLOQUIUM.

PRimus, qui Divi Stanislai Kostka Vitam, vix biennio, ab Ejus beatissimo exitu, lapso, copiosis Elegiæ metris concinnatam, Musis canendam evulgavit; fuit Gregorius Vigilantius (a) *Samberita-*

(a) Bartoli in Vitâ Sancti.

ritanus, Univerſitatis Cracovienſis Doctor, non minùs omni ſcientiarum laureâ, quàm ſanctitudine perenniter memorandus. Hæc enim Univerſitas toto ſeptemtrione fulgentiſſima, omni ſeculo, ſummorum ingeniorum Magiſtra, facem prætulit, & Pharum portûs literarii magnificentiſſimè toti exhibuit Poloniæ. Et, ut Sanctitatis ſtudioſiſſima eſt Chriſtiana Sapientia; quantò ſublimior, tantò Cælitibus ſimillima; ita hæc Academia, in Divorum Tutelarium (quos ipſa, ſuo quoq; ſinu, magno numero protulit) adornandis encomiis, ut plurimùm deſudat. Jam verò Societatis noſtræ, præſertim Polonæ, lucubrationes, celebrandis Divi Koſtka virtutibus, effuſas, quis ad calculum vocaverit? Omni genere, omni ſolutæ ligatæq; eloquentiæ, ut ita dicam, æquore inundarûnt. Et hæ adeò luculentiſſimæ, adeò Tulliani ſplendoris æmulæ; ut Illum, Pliniumq;, Maronem vel Ovidium audire tibi videaris: mihiq; adeò manus propè de tabula fugerit; cogitanti præſertim illud: Mediocribus eſſe Pòétis

Non Dî, nō homines, non cōceſſere columnæ(b)

Mediocritatem tamen noſtram attollit ſanctitas argumenti & voti. Præter enim devotam erga Diviniſſimum hunc JESU Socium, amoris mei teneritudinem; Studioſæ ſcholarum Juventuti, conſultum

(b) Horatius

ſultum ire volui: ut, excuſſis de manu Ovidianis Heroidûm Epiſtolis, penitùs inverecundis; plùs argutulis de Cupidinis pharetra, quàm Apollinis; Naſonem condiſcat, non ità quidem ſuavi modulamine peracutum, nec lacteâ venâ ſcaturientem; caſtiſſimis tamen affectibus & ſanctis amoribus refertum.

Prolixitatem carminis accuſabunt fortè aliqui; ſed præſtò ſunt Peligni Vatis exēpla. Certè una epiſtola, trecentis quinquaginta octo metris vix deſinit: cæteræ pariter copioſiſſimis elegis decurrunt.

Nonnullos, qui nimis exquiſitè comptulam venuſtatem à Muſis exigunt, interdum fortè ſcabredo offendet; ſed defendit ſuas meaſq; verrucas idem Poeta. Ajebat enim: carmen, ut faciem eſſe; decentiorem illam, in quâ nævus aliquis fuiſſet. Et Seneca: Nō eſt, inquit, ornamentū virile conciñitas. Illos verò, qui ſermonis vocabula, quæ Literatorum, Pòétarumq; Reſpublica, Latinâ Civitate donavit, tanquam Domitianus muſcas, venantur & carpunt; nec moror, nec voculâ dignor. Ejectitius enim partus, quamcunq; fortunam patiens ferat, neceſſe eſt. Cui, ſi benè precari lubet, vitilitigatores ne oderit, moneo.

Diſce Liber livore nihil ſublimius eſſe.(c)

(c) Dares Phryg:

EPISTOLA PRIMA
Ad Reverendum Patrem
LAURENTIUM MAGIUM
Provinciæ Auſtriæ Societatis JESU
Præpoſitum.
Stanislaus Koſtka.

ARGUMENTUM.

CUm Divus Stanislaus, à Deipara Virgine monitus, ut Societatem JESU ingrederetur, ardentiſſimis precibus apud Moderatores Provinciæ Germaniæ urgeret in numerum Sociorum adſcribi; denunciationem tulit, compotem voti fieri non poſſe, niſi accederet benevolus Parentûm conſenſus. Hunc quamdiu non extorſerit & produxerit; irritò fores pulſari. Quo reſponſo, & notâ Parentûm obſtinatâ vo-

tâ voluntate perculſus, non dejectus; reſtaurat aſſultum, Provinciæq; Auſtriæ Præpoſitum Rdum Prem Laurentium Magium, plurima obteſtatione terebrat, ut à data conditione deflectat.

Sacchinus & Bartoli in Vita Sancti.

Epiſtola.

IBis in optatas, mittente beatior, ædes,
Auctori vetitam Litera nacta Domum.
Ibis, & invideo: cur non magìs ipſe petitor
Evolat? O! utinam ſim meus ipſe liber!
Ut, cùm preſſa manus tunicâ te condet herili,
Tandem inconceſsâ perfruar ipſe Togâ.
Cùm recipit KoſtcæNomen,gemmamq;manumq;
Codicis obtentu, ſuſcipiatur herus.
O ego dum ſancto potiar niger incola cinctu!
Dum color hic deceat, quidlibet eſſe velim.
I felix, Domino melior, pernicior Euris:
Difficilem nobis præſtrue, frange viam.
Janua, quam feries, ſi ſe non lenta recludet;
O mihi tam faciles poſce patere fores!
Limina prægreſſo,cerni datur ordo manentûm,
Pendula quos ſignat nominatq; Cedrus:
Inſpice digeſtos ſchedulis numeroq; ſodales:
Hìc aliqui toruli nomine fortè vacant:

 Aude-

Aude aliquid! tabulæq; meũ, liber, inſere nomẽ:
Ordine de tanto fac legar imus ego.
Inde Virum, qui cuncta regit, reverenter adora:
Laurea cûi nomen fortis in igne dedit:
Agnomen Magii eſt: Regem dixiſſe juvabit,
Morigeros cætus qui ſapienter amat.
Si rogat ut valeo? dices: *ardore valeſcit*,
Et, niſi ſuccurras, anxietate perit.
Tædia dant maciem; miſer eſt; ſed redde ſalutem,
Nec lentâ abjectum longiùs ure morâ.
Vincitur iſte quidem nullo Laurentius igne,
Perſtat & ad noſtras durior ære faces;
Prome tamẽ lenes, quas ſuggero, prome cataſtas:
Flectetur, ſi ſit ferreus, igne meo.

O Pater, uſq; diu tremulo pendemus ab unco?
Differor, & mea Te carnificina juvat!
Pendet ab ore tuo cum ſpes mea, vita, ſaluſq;
Suſpenſum nullâ commiſeraris ope.
Exiguo nutu faceres ſine fine beatum;
Unica quis labor eſt vocula? Koſtka veni.
Hanc ſine fine negas! decies bona cauſa repulſam
Paſſa à te decies eſt pia flamma necem.
Si tæda exſpiret Cauris pugnantibus impar;
Dic mihi, cujus erit noxa peremptus amor?
Extre

Extremis equidem noſter focus oſſibus hæſit,
Arſerit adverſis, non tepefiet, aquis.
Te tamen haûd decuit nos tot mactare periclis,
Quot negat Herculeus ſuſtinuiſſe labor.
In Labyrinthæis miſerandum Theſea monſtris
Deſeris, & nunquam pro duce fila (*a*) dabis?
Non ego differri doleo ſpem longiùs ævo,
(Solicitis ævo eſt longior una mora)
Sit via difficilis portu, ſit avara teneri;
Dum ſit in aſſultus, poſſibiliſq; capi;
Aggrediar; cunctos obices ſuperabimus unus:
Naufragio mandas currere, ſive rogo:
Omnia conantem fortis feret impetus; unâ
Quâ me diffindis, conditione cado.
Koſtka, patet limen, meus es Tyrunculus: inquis:
Sic, ubi nutus adeſt Progenitoris, eris.
Prima quod indulget, citiùs vox ſumma retractat,
Proxima neſcio quod gaudia tempus edit.
Es meus; exulto! Sed, *eris meus;* algida membra
Stringit, & affectus vox necat una duos!
Tandem in moroſi cùm nos arbitria Patris
Projicis, Icariis præcipitamur aquis.
Judicium cauſæ fugiendo à Sangvine quæris:
Heu mihi! ſuppetias litis ab hoſte petis!
Quis Deus hoc ſcitũ? ſed nõ Deus efficit auctor;
Nam, Patre poſtpoſito, vult ſua juſſa Deus.
Tu

(a) *Ariadne, porrecto filo, Theſeum ex labyrintho eduxit.*

Tu Christi imperium, Patris postponis honori;
Hêu Stygis assultum proditione juvas!
Me miserũ! in caput hoc Magius conatur, & orco
Ut captum, aût ferro, aût Patris amore cadat.
An nescis trepidã quâ Styx terit arte Juventam
Cognata intentat spicula, Patre furit.
Sæpè ego sum vestro monitus sermone salubri,
Quo pede sectaris Numina, temne Domum;
Sæpè inculcatum memori thema corde resedit:
Vita sequax Domini, transfuga vita Domo.
Et bene rapta tholis pro cælo clarigat arma,
Et bene fert palmam filius, arte fugæ.
Versa retrò svada est! datur, inquis, copia voti,
Si venia facili prosperat acta Parens.
Desperare jubes! cæco namq; ille furori
Certior est, quàm me sponte litare Deo.
Et jugulũ prompti dabimus; sed & icta mucrone
Lingva recantabit: tu mihi causa Magi!
Sustulit ensem alter, puerum tu subjicis ensi:
Exuit ille Patris viscera, Tuq; negas.
At non me illa Parens hâc conditione vocâvit,
Quam suxit Vestri Nominis Alpha Puer.
Adfuit hæc Socio Nato, sociaq; salute;
Tertius elapsus lintre (*b*) Charontis eram:
Forsitan invito Magio, creat Illa Sodalem
Unigenæq; sui, Lojolidæq; sui.

Eripe

(b) *Charon. Inferorum Navicilator, qui animas Defunctorum, per Stygem, vehere dicitur à Poëtis.*

Eripe te, mandat, clàm te Patris eripe curis!
Quæ JESU arma Ducis tyro sequaris, habes.
Ecce patrocinio sit adeptio nostra Mariæ;
Tu latus oppones, nec mihi Numen eris?
Quod Deus ipse jubet, Divina secunda potestas
Abnuis? heu cælum seditione moves!
Quid juvat hunc animũ Cælo exhortante cieri?
In sociumq; agmen Virginis ore legi?
Inq; manu junctâ Pueri jurâsse Tonantis:
Iessiadis voces, hac præeunte, sequi?
Christe! tuis Magius placitis impunè resistit!
Virgo! Tuas leges irrita jussa facit!
O utinam, quæ Diva bonos inspirat amores,
Conveniat Magium! duritiamq; domet!
Ipsa minax vultu (placidam sed malo videres)
Suscipe, ne dubita, dixerit: *Ipsa volo!*
Arguet hæc nimiiq; metûs, nimiiq; rigoris;
Hâc facie vincam, fors nec inultus ero!
Sed Pater irâ amens, flammas, Acheronta movebit;
O pudor! ergo Dei causa Acheronta timet?
Et minus est Magio, mihi quàm, pro Numine (cordis?
Et timor est potior, quàm tibi nostra salus?
Mitte parentales, ego rideo, mitte procellas;
Auspice Tyronem Virgine sume tuum:
Est mea: tu Matrem vis experiare Mariam?
Sim tuus unius lactis alumnus ego.

EPISTO-

EPISTOLA II.

Ad Eminentissimum Dominum Dominum JOANNEM FRANCISCUM S. R. E. CARDINALEM COMMENDONUM *Stanislaus Kostka.*

ARGUMENTUM.

TOties repulsam passus Viennæ Divus Stanislaus, religione voti propositum stabilivit: tamdiu quascunq; terrarum plagas peragrandi (solicitaturus etiam Oceanum, & Orbem pedibus nostris subjectum) donec tandem alicubi pateret janua Societatis JESU ineundæ. Sed, ne quid intentatum relin-

relinqueret, Eminentissimum Cardinalem Commendonum supplici libello adoritur. Hunc, eâ tempestate, Vienna Legatum acceperat. Quo munere nuper in Polonia perfunctus, & Sacræ Purpuræ dignitate auctus, Kostkarum Prosapiæ claritudinis non immemor, quos zelo sinceræ religionis strenuos, contra insurgentes novatores & omnem hæreseos vim probè animatos & potentes, plurimis officiis sibi devinxerat; illis vicissim singulari necessitudine obnoxius. Supplicat igitur Cardinali, Stanislaus, ut Reverendum Patrem Provinciæ Austriæ Moderatorem, Laurentium Magium, quà suasoriis, quà authoritatis nutibus pervinceret, facilemq; & apertum redderet supplicanti. Bartoli, aliiq; auctores Vitæ Sancti. De voto verò tam arduo, memorat Sacchinus in Borgiâ *& præter alios, P. Gobat.*

Epistola.

SI Lechici facies Tibi non ignota Senatûs;
Vultum si quis in hoc Ordine Kostka tulit;
Addidit & culmen titulis, & pondus Honori;
Et Tibi Pirithoi (a) nomine cultus erat;
Si Te Rostkovii (b) quondam stupuere penates;
Principis hospitio facta superba Domus.
Hospi-

(a) *Pirithous amicitiâ Theseo conjunctissimus: qui simul Plutonis inferna regna petierunt, Proserpinam repetituri.*

(b) *Rostkow, Domus Natalis Sancti Stanislai: hereditaria sedes Kostkarum.*

Hospite si majus Numen censeris, amicus;
Quod neq; Romuleus protinus odit Honor;
Scire potes, Princeps, quis sit, qui lambere prono
Purpureæ limbum supplicat ore Togæ.
Ille ego Sarmaticæ genus haud ignobile stirpis:
Per trabeas lecti sangvinis ille frutex:
Ille salutator, Tarpeja Jupiter arce
Cùm jacit in vestram pilea rubra comam:
Cùm gena succubuit Tyrio mactata Galero;
Gratificantûm unus balbulus actor eram.
Clara, nec inficior, sicut cognoscis, origo:
Utiliùs tamen est inficianda mihi.
Clara Domus, nec testis eget Virtutis & ortûs:
Sed mihi plùs partà nobilitate nocens.
Est aliquid, nullo censeri stemmate Patrûm.
Est humiles aliquid lacte referre casas.
Libertate juvat, cum rusticitate, potiri;
Quâ caret, & prohibet splendida Juno frui.
Atq; ego, deterior si me Lucina tulisset;
Non tot turbinibus ludificandus eram:
Non foret horrendis ludus mea syrtibus Alnus,
Ocyus optato perfruitura sinu.
Improba nobilitas prensato rejicit Isthmo;
Inq; vago lintrem mersitat usq; Salo.
Tu mihi propitiâ succurre Favonius aurâ:
Tu nostram, in portus, duc cynosura ratem.
Nemo

Nemo tuâ, quisquis miser est, miser aure pepēdit
Antevenit mæstas gratia vestra preces:
Cræsus abit, qui venit inops; causâq; potitus,
Facta refert votis uberiora suis.
Sic mihi promittit tua nulli parca voluntas;
Ad mea perfacilem te fore verba Jovem.
Verba nec induco: gemitu fletuq; peroro:
Cordis habet faciem lacryma, Numen habet.

NAm quid agāt meliùs, mea quàm me lumina (plangant?
Quem cunctæ auxilii destituere viæ!
Qui placidis Zephyris mea littore transtra juvare
Debuit, opposito Japyge bella movet.
Errorum laqueos nutu qui demeret uno;
Stamine fraudatum Thesea fraudat ope.
Spemq; viamq; secat, lacrymosa avertitur ora;
Et quasi flagitii postulat, æqua peti.
Quis nam hic? Est Magius; Jesu cui signifer ordo
Regna per Austriadûm paret, amatq; Ducem.
Ille meo nimiùm Voto obluctatur & obstat:
Nec desiderium sospitat Ille meum.
Me vocat, ac socii scribit Deus agminis unum:
Meq; vetat Magius, quem Deus esse jubet.
Nondum natus eram, Sacri dum Nominis heres
Militiæ hujus ego stemmate scriptus eram:
Stem-

Stemmatis exsortem tanti facit, æthera durus
Prædamnans Magius, judiciumq; Poli.
Hortatur monitis cælestûm Mater amorum:
Esto puer nati servulus esto mei.
Accipit hæc Præsul surdâ intractabilis aure,
Ceû Divæ imperium somnia ficta forent.
Bajula Virgo Dei, cordis tulit otia nostri,
Et quidquid magni mundus inane putat.
Mitte (ait) illecebras, castæ venabula mentis,
Et fastiditi fulgur honoris opes.
Non subit hæc Magii thesis immiserabile pectus!
Ut Mundi aucupiis illaqueemur, agit.
Ad Patris austeri placitum vadimonia differt:
Cur me offert gladiis? quem magìs ipse necat!
Vulnere vita pari, quam spes jugulata trucidat,
Concidet; atq; Patris confodienda manu.
Quid mihi cum Laribus, quos ejurare docemur?
Magnanimiq; Genus nobilitare fugâ.
Retia structa Domûs si non vitâsset Aquinas;
Non serto ambîsset Dia Minerva caput.
Qui Romam illustrat, cessisset Alexius umbris,
Si Patris auspiciis desipuisset amans.
A Calybâ dictus, Tyberinæ Phosphorus Urbi est;
Hanc lucem aufugio gloria parta tulit.
Sic, quoscunq; polo non vilis adorea vexit,
Prætrepido cunas posthabuêre dolo.

Sed

Sed Magius Lechiæ furiosa tonitrua pallet:
Nam sibi nescio quos fabricat ille metus.
Qui nimium metuit, non est peridoneus Auctor
Urgere ad fortes grandia facta viros:
Hic Vir hic est, quem summa timent, non ipse, pericla,
Quem nullæ valeant exanimare minæ.
Nec scio, quid paveat; nam, si arserit ira Parẽtûm,
Hæc brevis in liquidas diffluet Ætna nives.
Quæq; modò scelus est citò prædamnata juventus
Mox tuba gloriolæ, carmen amoris erit.
Dum recolent facinus, dicent: sic vincite nati!
Viscera sint jugis victima nostra Deo.
Quid? sibi si votum est, pia me quæ semita ducit?
An me vituperent contribuisse vices?
Nil ergò Magio restat, quo nostra moretur
Tædia; lugendas sed struit ipse moras:
Supplico, solicito, singultio, corpore sternor,
Deplango riguos, sicut ab imbre, pedes.
Accubo præ foribus, noctu suspiro, diuq;
Nil lætum refero, præter inane nihil.
Malleolis ferrum, lapis alluvione rigescit;
Ferrum alit, & silicis semina, Cor Magii.
Saxa movet clamor: frangunt adamanta cruores
Non cruor ex oculis hunc adamanta domat.
Tu potes, o! Princeps, nostrã pervincere causam
Qui regere imperio sidera dignus eris.

 Flecte

Flecte virum comi eloquio,quo Regna serenas;
Flecte supercilii fulgure, Magne jube!
Spartam in te posuit Latii Divina potestas:
Hanc adhibe: interpres fungere voce DEI.
Sed Matrem opponet Magius, Patrisq; furores;
Tu mihi sis mater munere, tuq; Pater.
Si nihil obtineas, nil profecturus & ille est:
Abneget! haûd Kostcæ debilitatur agon.
Fert animus geminos pertingere passibus axes,
Quâ solis nati est, quâ morientis iter.
Sive per Arcturum, seû torrida signa pererro;
A Sociis JESU pars mihi nulla vacat.
Metiar Europam. Quòdsi non compote voto?
Juverit Oceano Vela caputq; dare.
Solstitio Cancrum,brumâ superabimus Arctos:
Nam quid inaccessum non bene tentat amor?
Non conterruerit tua me Neptune vorago:
Mittet Arioniam sospita Virgo ratem:
Dicetq; astra petit puer hic! freta ponite Venti!
Parcite dum properat, mergite si redeat.
Navita dum sit amor, tribuet Balæna triremem:
Delphines cupient navis obire vices.
Corpore sacra fero: Flamen, focus,hostia,cor est:
Ipso à naufragiis pectore tutus ero.
Nam quæ sidereas perimant, quæ cærula tædas?
Non habet in nostras Æolus arma faces.
Con-

Consequar Heroës, quos cælica transtulit Argo:
Bella meæ relegent Xaveriana viæ.
India noscetur Kostcæ, noscetur Japon:
Subjectus pedibus bis mihi mundus erit!
Tunc ego me toto Nigritas (*) induar,ut me
Lojolidam discat concolor ille globus.
Est pretio color hic,quem ducit flammiger æstus
Sive hunc dant cordis pabula,sive poli.
Urit amor venas: nigror ustum pinget: eumq;
Frigida servabunt ossa, tepensq; cinis. (**)
Quòdsi Parca colū propero mihi desecat ungve;
Linquo animā, Ignatii dum mihi meta domi,
Ut primùm penetro Votivam admissus in ædem,
Est satis in primo limine posse mori.

 EPISTO-

(*) *Nigritæ populi Indiæ* (**) *Ossa Divi Stanislai Kostka, ut plurimum, colorem fuscum, ac nigellum ex nitido, referunt, quo ab aliorum Reliquiis discernuntur.*

EPISTOLA III.
STANISLAUS KOSTKA ad PAULUM Fratrem.

ARGUMENTUM.

Crebra vexatione à Fratre impetitus & irrisus Stanislaus, serviliterq; pugnis & calcibus tractatus; post diuturnam patientiam, erupit semel in has querelas: indignè secum agi: contumelias & injurias tantas non impunè ab hinc irrogandas: habere se in promptu modum ultionis: crudelitati eripiet fuga Stanislaum: ibit, quocunq; se pervius error feret, & perditi Fratris reum faciet Paulum. Hæc Ille coràm in vultum asperati Fratris. Hæc fortè etiam literis consignavit.

Sacchinus Bartoli &c.

Episto-

Epistola.

SCribimus absenti, Usq; adeò, quem separat ira,
Cùm propè sit, procul est, ut procul ignis aquis
Assiduus Paulo, nimiùm desidero Fratrem,
Quo mihi Tu, si nos non comitatur amor?
Ruga ferax, nimbusq; genæ, aversiq; furores,
Eripiunt vultum Fratris, & hostis habent.
Sæpè mihi querulo visi dixisse Penates:
Quem malè germanum quæris, Erinnys agit:
Cùm cadis, & placido poscis sermone pacisci,
Longè hunc vis odii, vis inimica tulit.
Mensa dabit, dixi, fraternâ luce potiri,
Præbibitoq; haustu conciliandа salus.
Mentior! accubit mensis quoq; triste duellum,
Et pateras miscet bile feroce calor.
Sic eadem nos tecta licèt postesq; morentur,
Exilii præbet gratia pulsa locum.
Exulat à Laribus, qui, jus sociale perosus,
Dissidii leges irrequietus alit.
Sangvine concordes, vitâ distamus & usu:
Meq; tuo pellis pectore, teq; meo.
Pulsus ab alloquio, calamo consigno querelas,
Te juvet (ut tua me verbera) verba pati.

PErbene si reputas, pejùs quàm sãgvine cretos
Unanimi deceat, Paule maligaus agis.

 Sæpè

Sæpè meas (audi patiens, oblivia narro)
Vexâsti rabido turbidus ungve genas.
Sæpè truci risu, falsiq; mucronibus oris,
Ceu mimus, pietas nostra retusa fuit.
Sæpius erepto mensis petulantia disco,
Ni fugerem, poterat cæde madere mea.
Hêu quoties nostra cute, cultelliq; pilæq;
Lusere! & quot quot suggerit arma furor!
Sustinui, nec verba dedi, nec atrocibus unquam
Opposuit clypeum victa querela probris.
Paule, tuam cōpello fidem! dic, quādo cruētum
Te mea vel tenui voce momordit apis?
Quando mihi tecum paribus concurrere telis
Mens erat, officio lapsa repentè suo?
Par redhibere pari, morsuq; rependere morsum,
Visa nec est torvis ultio digna feris.
Ipsa duellantes dirimit cognatio tigres,
Et similes maculæ mitia jura docent.
Nec de fratre queri, nec sangvinolenta putare
Jurgia, vel fratres jam didicêre lupi.
Sic vinci feritate reor genus omne ferarum,
Bellua si mentem vicerit Ira semel.
Inde mihi posui, quam dat patientia, legem
Truderet injussus ne mala verba dolor.

Mul-

Mulcere immitem flammam, lacrymæq; tepore
Unica Te durum vincere cura mea est.
Et vultus servare tuos, parereq; niti
Nutibus incertis, quodq; probare probas.
Lætior in ludos si te fortè impulit aura,
Fingere me ludos velle cōëgit amor.
Sive leves ducis choreas, sive orgia cantu,
Aptabam invitos prorsus ad ista pedes.
Dumq; togam mutas, dumq; imperiosus oberras,
Promptior obsequio, quàm tibi Verna fui.
Omnia dilecti svasit reverentia Pauli,
Quem mihi proposui Patris habere loco.
Tu tamen indocilis placido conamine flecti,
Intractabilibus me petis usq; modis.
Semper & in fratris fodicat te moribus illud
Nescio quid, tibi quod displicuisse reor.
An quod ego Phrygii morer haûd dulcedine lecti
Auroram solitus præripuisse prece?
Et vigil ante diem, nudo super assere fusus,
Pervigilem multo carmine placo polum.
Æra ubi luce prius superos campana salutant;
Præpropero Divûm limina posco gradu.
Templa dein subeo, positisq; in pulvere labris:
Libo Deum, & superis mente sequace fruor.
Interea te sternit olor, Phæboq; sub alto,
Strangulat hesternæ nausea farta gulæ.

 Tan-

Tandē ubi victa quies; speculis & pectine cirros
  Corrigis, & tortam spargis odore comam.
Mox cytharam digiti feriunt, & tibia frangi
  Mollior, artifices saltat agitq; modos.
Frater ubi? à saltu rogitas, ubi frater? at illum
  Jam decies cœlo victima missa tenet.
Hæc acuunt bilem, velut exprobremur inerti,
  Jamq; alapas reduci, jamq; flagella paras.
Da veniam insanire rudi! contraria nobis
  Gaudia, dispariles incubuere faces.
Deliciæ Paulum, quales vomit Æacus, hamant,
  Delicias, quales promit Olympus, amo.
Utq; Tibi Cypriis salibus vacat umbra diesq;
  Sic mihi cælesti Lunaq; solq; thymo.
Par nullum est odium Fratres distingvere: solâ
  Discordes voti seditione sumus.
Te nitor Assyrius, te cincinnatulus ordo
  Occupat, insipidi quisquiliæq; gregis:
Me juvat æthereæ mens associabilis aulæ,
  Et sapphyrati pompa serena tholi.
Tu tractare dapes, tu basia figere dextræ,
  Cantatorq; chorum ducere pulcher amas.
Sed mihi Divinæ per casta encomia Matris
  Nescio quàm dulci nectare labra madent.
Vina litare jocis, sortemq; ciere fritillo,
  Picto & ludicras Rege ferire notas;

Sed

Sed noster labor est, Marianæ symbola vitæ
  Volvere Virgineas voce manuq; rosas.
Sic dum vana joci fugit alter, & alter anhelat,
  Sumpsit ab ingenio dispare pugna locum.
Tandem pugna locum pacis concedat honori:
  Alternet posito gratia Marte locum.
Sat, nimiumq; faces fraterna tetendit Erinnys,
  Sangvinis extingvat conscia vena faces.
Respirant odiis Thraces quoq; fessa nocendò
  Arma reconcinnant fracta duella morâ.
Nos verò immemores nativi moris amoris,
  Alter tela rotat semper, & alter obit.
Utere more meo, fratrisq; negotia temne,
  Ut didici nugas temnere Paule tuas.
Ni facis, hêu moneo! nimium cōstantia magno,
  Quæ te plus feriant, prælia, Paule, geris!
Scilicet extorques, ut me semel ultio vincat,
  Ut pœnam de te perditus exul agam.
Ibo, vagos colles, quò me bonus egerit error,
  Ibo, petam placidas lite vacante specus.
Tesqua viæq; dabunt, peregrina vel astra quietē,
  Quam consangvinei dedidicere Lares.
Tu reus exilii, Tu tanti causa perîcli,
  Forsitan & fratris perditionis eris.
Ergò redi, vultusq; inimicos pone; vel ultro
  Debebis media parte perire Tui.

EPISTO-

EPISTOLA IV.

In qua S. STANISLAUS KOSTKA ad clandestinum iter accinctus, *PAULO Fratri vale dicit.*

ARGUMENTUM.

Modestâ querimoniâ Stanislai plùs efferatus Paulus, gravi scommate interpellatorem rejicit: abiret ocyùs, procul oculis, procul orbe; nihil se morari: ultra Columnas Herculis pergeret, ultra Orcum. Hâc veluti veniâ abeundi obtentâ, Stanislaus, clàm comparato sibi peregrinatoris paupere habitu (operam ei fidelem contulisse ad id fertur quidam Ernestus Hoffman Sodalis Viennensis) nocte concubiá se proripit, Paulum gravi somno pressum

sum excitat, & compellat, serione an joco profectionem imperavit? Illo aversante, & in pessimam crucem Fratrem relegante; Laurentium Pacifici, unum è famulitio suo, admonet: ne se frustra præstolentur domestici: à magno enim, & in paucis amicissimo, cui refragari nefas duxit, se invitatum, præstò prandio non fore. Maturè verò concinnaverat Epistolam, quâ clancularii discessûs causas explicuit: quarum præcipuam describit: quòm do letali morbo prostratus, à Sanctissima Virgine Deipara, & Infantulo JESU visitatus, sanatus, & ut Societatem JESU iniret, admonitus fuit. Hanc ille literam in libellum adolescentis Ernesti Hoffman, inobservatus conjecit: mox, communione sacra refectus in templo, summa celeritate, Viennensibus portis erupit.

Bartoli Sacchinus &c.

Epistola.

Nunc, si quãdo, precor multã tibi Paule salutẽ
  Cum refugam fratrem dissita regna citant.
Optabam cordi appressum te velle valere:
  Acceptiq́; labris, altera labra dare:
Et lacrymis pacem, ratione evincere causam,
  Quâ nostrum acciperes non velut hostis, iter.
Jamq́;

Jamq; steti spondæ citimus, juxtàq; supinum
Te dederat plagulæ pars adaperta mihi,
Jam propè verba dedi; cum primũ vocis obhæsit
Murmur, & in summo destitit ore sonus.
Paule! loqui volui; timor ultima nominis aufert
Tandem hìc litigio nec mea lingva caret.
Brachia tentabam Fraterno immittere collo;
Sed mihi sic melior semisopitus eras.
Ergo elangventi, lacrymans, bina oscula dextræ,
Carptim, ne furtum senserit illa, dedi.
Mox, pede suspenso, projecta cubilia temno:
Vixq; mihi auditus murmuro: Paule Vale.
Dicere supremum rudibus committo lituris:
Has vice, si quid amas, fratris habeto notas.
Jecimus & gypso ductum super atria carmen:
Este dein placidi Fratribus, este lares!
Vos ego dum colui, longè discessimus ambo:
Æquior extorrem fortè levabit amor.
Copulat avulsum pietas; & amabitur absens,
Et meritum veniæ perfuga frater erit.
At tu sæva domus, fratrum memorare duella
Desine: sed nostræ pone trophæa fugæ.

His ego subscriptis, baccatos exuo cinctus,
Exuo Sarrani coccina texta sagi:
Et

Et segmentatas Phrygio subtemine braccas,
Et calamistratæ structile pegma comæ:
Corpore quidquid opũ phalerata superbia vectat
Et quidquid falsò nobile Kostka fuit.
Tunc prætexta rudem visa est pensare lacernam
Quamq; meis oculis, tam sibi vilis erat.
Tunc & Palmatam risit mendicula vestem,
Aurea centoni sordida facta Toga est.
Invidiam Lati pannosa lacinia Clavi,
Et pretium Trabeæ tressis abolla tulit.
I! pede trita peri, sceleratæ sarcina pompæ!
Diximus, inq; humeros penula nigra salit.
Quid faceret pridem exosus? qui, judice fratre,
Nil sibi congenitæ Nobilitatis habet?
Fortunæ dat terga suæ desertor & exsors,
Seq; habitu genio conveniente tegit.
Scilicet indignum qui stemmata vestra profanet
Pera sudesq; apta rusticitate decent.
Unica de cunctis rapuit me præda metallis,
In Cruce suffixi forma cruenta Dei.
Cumq; suo Parvo, magnæ simulacra Parentis,
Hoc spolium, hæc totâ furta reporto Domo
Has mihi divitias fulva pro torque pacisci
Et lubet & fas est: cætera solus habe.
Parte, nec in totum Kostkanas abnego ceras,
Sunt mea, quâ retinent stemmata parte Crucem
Quis

Quis me? fortè rogas, quis me mihi deripit auctor
Despoliatrices in cruce nosce manus.
Ille meus raptor, tibi me; mihi ditia quæq;
Abstulit; inq; vicem mutua prædi sumus.
Ille Dei Natus, vili Infans fusus ovili,
Nudum in fatali colle pependit onus.
Pauperieq; bona nil rerum carius ambit,
Pro merito qui res æstimat atq; probat.
Sic odio mundi, Crucis ambitione beatos
Et paupertinos discupit Ille suos.
Quid facit indecoris rerũ indiga sponte Juvẽtus
Si Ducis ingenium calle minore premit?
Nil mortale sequor; præeunt exempla Tonantis,
Mancipium, Domino quæ placuere, juvant.
Sic te Paule juvat captare fugacia poma;
Carpereq; abreptis nexa vepreta rosis:
Lymphatisq; adolere Choris, queîs lena Voluptas
Præstigiis oculos effera ludit hera:
Et ventis aptare fidem: infamiq; profundo
Vela rapi tacitis illecebrosa vadis.
Naufragiis miseri, laqueoq; studetis & igni:
Non tamen hêu turbâ fluxa sequace carent!
At mihi sit vitio, quod non peritura sequamur,
Quod comes auctori mens velit ire polo?
Quod cito de medio cauti prorumpimus igne,
Quod rapuit tabulã naufraga dextra crucem.
Paule

Paule, utinam invidiâ tangare! meiq; caloris
Æmulus, è tristi proripiare salo!
Ipse probabis enim, sero torpore Magistro,
Quàm tua ventoso gurgite cymba salit:
Tentabisq; pari mecum rate currere; verum
Hyberno tardum est solvere vela Noto,
Tarda inceratis visci retinacula pennis,
Tarda facem volucris semicremata fugit.

Conjice, quot stimulis recolo fastidia mundi:
Nec me propositis esse reare levem.
Ardua cæpta quidem, sed Cæli nutibus acta,
Nil leve consultum, nil juvenile premunt.
Exigis Auctorem? tundit sua jussa Maria
Illa Dei, nostri est consiliiq; Parens.
Non commenta sero. Scis me letalè solutum
Febribus, extremæ succubuisse neci.
Tabueram, tremulosq; gelu grassante per artus,
Incubuit mediis noxia flamma fibris.
Dumq; hostis geminus tenui lare conserit arma,
Penè mihi nulla parte superstes eram.
Murmure Lethæus jam me circumstetit amnis,
Jam tibi de nostro funere certa fides!
Cerberus assultim ter me trifido obruit ore:
Ter cruce percussus belligerante ruit.
Ter

Ter dentes acuit, pressit ter dentibus iram,
  Ter, crucis arma timēs, dēte momordit humū
Ter Phlegetontæos sparsit de nare caminos,
  Ter digiti flexu præcipitatus, abit.
Tunc deploratus Paulo quoq; frater amatur,
  Quemq; dolent oculi ferre, perire dolent.
Utq; tibi mecum, sine me sic vivere triste est,
  Et sentis aliquid me tamen esse tui.
Jacturæ admonuit pietas, flammisq; sepultis,
  Torpuit, & lacrymis jus dedit ira piis.
Quin & docta nigras averruncare Sorores,
  Ne mea præcipitent stamina, Vota facis.
Nec tardant differre rogum, sed aperta precanti
  Accelerant medicam protinus astra manum.
Dumq; diu vitæ & lethi confinia nutant,
  Deq; meâ pugnant morsq; Salusq; colu;
Desuper affulsit stellis redimita capillum,
  Textam induta rubro sole MARIA Togam.
Lacteolusq; Infans, quo basiat ore Parentem,
  Invalidum roseo perpluit imbre torum.
Erigimur! gelidosq; redux vigor induit artus,
  Surgit ut adsperso rore caduca seges:
Disperiit langvor, perit horrida Mortis imago!
  Letiferæque procul terga dedere Febres.
Quin etiam nostro se Gemmeus ille cubili
  Intulit obtutu vivificante Puer:

Inq,

Inq; meas salit usq; manus! & brachia collo
  Inserit. O! nunquam dulcior aura mihi,
Convalui, rursumq, novo percussus ab igne,
  Deliciis, pullo funere, posco mori.
Cùm Regina Parens, nostræ studiosa salutis,
  Vixeris! at non te mundus habebit, ait.
Quam Lucina dedit, morbo tua vita peracta est:
  Instar habe mortis, te properâsse mori.
Relliquias vitæ, Cælo sacrabis, & istis,
  Quæ tibi contexunt stamina rupta manus.
Dulcè Deo necti est: Pueri sociabilis ætas
  Te Socium Ludi pugnat habere sui.
Incipe, nec teneris formido obmurmuret annis;
  Ipsa ego felici juvero cœpta manu.
Quò magis à Patria, Patriæq; tenacis amore
  Iveris; hoc propior sum tibi Mater ego.
Talibus hortantē quis habet contēnere Divam?
  Hospitio cujus reddita vita mihi?
Nec tanti es frater, nec tanti nobile regnum,
  In vestra ut, spretâ Virgine, jussa cadam.

Ecce fugæ causam, cujus pars reddita, sed te
  Quæ propiùs cernit, pars recitanda venit.
Quod pede verto solū pannosus trāsfuga; nostræ
  Non tu adeo, verùm tu quoq́, causa fugæ.
Non memoro infandas acies, & livida bella,
  Ulcus Paule tuum, vulnus & ipse meum.

 Scis

Scis, quid heri? quæ verba mihi postrema dedisti?
Cum te immansvetas ponere posco minas;
Livoremq; excesse rogo, quo turpius ulla
Fraternum lacerat non fera dente jecur.
Desine Paule meum, dixi, *exagitare tenorem*:
Si pergis? jacta est alea, jacta fuga.
Hæc ego tranquillo; tu mimo protinus ore:
Perge, malamq; crucem, vel Styga brute subi!
Paruimus dictis, sed non Styga, Numen adibo,
Quamq; crucem subii, nil capit illa mali.
Idem hodie, dum te volui, num seria mandas?
Meq; viæ admonuit nuncia solis avis,
Plumæ immersus ais: *Scelus i! Styga rumpe, licebit*
Ergo vale: imperiis utor abire tuis.
Quære tuis alium fratrem bene moribus aptum
Sed neq, difficilè est, conciliare parem.
Ille tuus, cum quo non est tibi recta voluntas,
Materies odii restitit esse tui.
Perge modò audaci producere lora juventæ!
Non qui vituperet, qui remoretur, erit:
Dumq; scyphi socios ductim potare salutem
Urges, fac nostræ dent bona verba viæ.
Præmia posco fugæ: jungat pax sera diremptos:
Atq; relegato Fratre, revertat Amor.
Si prohibes ne vertat Amor, saltem hostis haberi
Desine, quod facili conditione potes.
Hoc age, si mecum vis in nova pacta redire:
Projice seû de me quærere, sive queri.

EPI-

EPISTOLA V.

Ad Illustrissimum Dominum Regni Poloniæ Senatorem, JOANNEM KOSTKA Castellanum Zakrocimensem, suum Parentem.

Stanislaus Filius.

ARGUMENTUM.

MEmorat Reverendus Pater Daniel Bartoli, in vita S. Stanislai: Illum, dum se meditatæ fugæ accingeret, elaborâsse literas, Bilinscio F[...]matori & Gubernatori suo inscriptas, Illustrissimo Parenti exhibendas, quibus seriem Vocationis Di-

vinæ, & clancularii diſceſsûs rationes, ſub oculos ponit. Credibile eſt, omnem nervum intendiſſe, ut in ſua deſideria Patrem flecteret, & approbationem facti eliceret. Quarè, vitæ ſuæ primordia ſancta recenſet: ut multâ Parentûm pietate & precibus optatus à DEO, impetratusq; eſt Stanislaus; ut Sanctiſſimo JESU Nomine ſignatus, priuſquàm natus; ut toto corpuſculo, roſeis Crucibus purpuratus apparuit fuſus recèns Infans; ut ſtatim à vitalibus Aquis Aræ impoſitus, & inter Divina Myſteria, voto Patrinorũ conſecratus. Nec reticet judicium de ſe Adoleſcente, Patris, qui dicebat ſe non puerulum, ſed Angelum parvum domi educare: cavebatq; ſolicitè, ne quis parùm verecundus ſermo Convivis obreperet; cùm ad ejuſmodi metaphoras, protinus animo linqui, ſenſibus deſtitui, & propè emori cernebatur Stanislaus. Ex Vitâ Sancti.

Epiſtola.

COnvolat ad Patrem, dulciq; dat oſcula dextræ,
Cera ſubire meas officioſa vices.
Hæc oculos; auctor plantas petit: illa faventem
Contrectare manum ſupplicat; iſte pedes.
Sed tandem timet illa legi, timet iſte repelli:
Illa ſupercilio pallet, & iſte tuo.

Nam

Nam quantùm cauſæ pietas promittit amorq;
Præſidii; tantùm ſpem quoq; frangit amor.
Nuncia ſis audax utinam! Sed fortè legentem
Læſeris, & talos icta repentè petes.
Utq; meam tremulâ vexas torpedine dextram;
Sic te fors laceram culter &, ignis edet.
Si cadis oranti ſimilis; dic: *talis & illum*
Me tibi qui mittit, dejicit uſq; pavor.
Crimine non pallet, ſed ſpes quatit anxia mentem;
Spes nova inoffenſo conficienda Patre:
Utq; nimis fatear, ſolâ novitate ſiniſtri
Abdita conſilii, prodere lucta vetat.
Inſpice narrantem: meliùs puer ipſe loquatur,
Quàm tibi, de ſe, aliquid fama maligna feret.
Namq; ſubit noxæ probitas audacula pœnam,
Murmure, decepto Judice, facta nocens.
Sed primis facinus temere damnabile cœptis,
Vindicat, & cœlo poſtera fama vehit.
Sic, bona, perfidiæ, qui fortè redarguat Orſa,
Plurimus interpres vituperator erit.
Supplico, quidquid erit, titulis, & imagine, lectis,
Ne citò per totum, ne citò curre Librum!
Si properas, nec eo, quo crevi litera, curris
Ordine; inauditus labitur enſe puer.
Imò age! prome enſes! Venit ſententia cœlo:
Filius eſt veſtrâ victima danda manu.

Lite-

Litera pone modum! subitanea multa locuta es,
Vincendum lento remige falle vadum.
Vive Pater, nostriq; mane securus honoris:
Nuntia funestæ est calliditatis inops.
Nil ego triste volo, nil te rogo velle nefandum:
Et mihi tecum eadem fax pietasq; calet.
Tu Stanislaum, crebras prostratus ad aras,
Numinibus præbes; sit pius ille, rogas:
Iste aris fusus, peragit votiva Parentûm
Imperia, & se se dedicat usq; DEO.
Discupit is totum se se deferre Tonanti:
Parte sed obsequii cogitur esse tuus.
Concedis si jure DEO, pignusq; remittis?
Hoc erit, ut natum sacrificare velis.
Flagitio procul est magnum, memorabile Sacrũ,
Quod te non faciet tempore posse mori:
Flaminis efficio, placidè sine sangvine, functus,
Perpetuâ facti luce superstes eris:
Cumq; suos condent titulos trabeæq; togæq;,
Post titulos, vives major honore Patris.
Mæandros loquimur: nec enim manifesta repētè
Cæpta Album celeri proditione tenent.
Sit mora supplicibꝰ, sit mens adaperta precanti:
Paulatim potero limpidiora loqui.

TE rogo tantillum: sit ut intemerata Voluntas,
Me nondum nato, quæ Tibi sancta fuit.

Tempus erat, quo progenies majorq; minorq;
Solatura Patrem constitit ante suum.
Constitit Albertus: conto libratus & ense;
Hunc fore dixisti marte manuq; ducem.
Inter erat temere projecta crepundia Paulus,
Huîc mea concedet sella curulis, ais.
Sic animo nimios pueris partiris honores,
Posteritas tumidam spem generosa facit.
Cum mox, nescio quo præceps in vota calore,
Diceris hâc testem voce citâsse polum.
Dî precor! unus adhuc, o! si mihi vagiat Infans!
Illum ego Cælitibus, non mihi posco dari.
Illum aris opto; sit qui prece concitet aras,
Sit, qui Kostkarum Nomen in astra ferat!
Tunc ego delabor, precibus bonus añuit æther.
Devotumq; tulit lactea Mater onus.
Nec cæli stitit usq; favor, sed prodiga fundi
Gratia, prodigiis est cumulata novis.
Sarcina vitalis tumuli, lare Matris opaco,
Luce prius potui perdere lucis opem.
Mota Dei cura est: & me nescire quid essem,
Numinis auxilium promeruisse fuit.
Non refero, novistis enim, cum offula tremēdo
Extimuit mater sidere, meq; gravis.
Visa repentinis scribi præcordia flammis!,
Solis inaspecto circumamicta globo.

Sole cadit medio rubicundis texta pyropis
 Syllaba, quam implexus non sinit ordo legi.
Ut vero implicitæ satis emicuere figuræ,
 Numinis Unigenæ syllaba nomen erat.
Utq; novas, face tacta, capit cera obvia formas;
 Pingitur ut Phrygia sutile carmen acu,
Roscida cêu reddit formosa parelia nubes,
 Sideris Authoris lumine facta parens;
Sic, quo delitui, Materni pectoris Umbo
 Virginei partûs stemma, typumq; tulit.
Sponte faber radius magni cognominis orbem
 Impressit roseis, carne sequace, notis,
Anxia portento: quidnam quid imago loquatur
 Carpitur, & signo Margaris alma pavet.
Tu tandem accurris, nec prodigiosa morari
 Visa sinit melior Vate repertus amor.
Conjicis, & facilem subeunt oracula lingvam,
 Mens læta ingenium vaticinantis habet.
Nasceris o tandem! sed non mihi nasceris, inquis,
 Non mea, sed Cæli prodroma cura puer.
Delicio Superûm gravidaris KRYSKA; (*) *tuusq;*
 Jam puer à JESU Nomine, Nomen habet.
Frustra illum mithræq; Ducum, trabeæq; salutant,
 Sanctius his, nostro sangvine, sidus erit.
Gratulor! & certo, ne Phæbum oracula fallant;
 Accedo effatis sponte corona tuis.

Tu mo-

(*) *Margarita de Kryskiis, Palatini Masoviæ Filia, Parens Sancti Stanislai.*

Tu modo fatidicum ne lite refelleris omen,
 Nec Vatem optati pænituisse juvet.
Nomina ferre jube, quæ nondum natus adivi,
 Juro, meo nunquam crimine fallus eris.
Scire Senator aves, quid sit? quid flam̃a futuri
 Conscia, cælato corpore Matris agit?
Eloquar: & nullus, post Te, tam certus Apollo,
 Qui magis ex vero conscius ore canat.
Res est sacra puer! Tali quem stemmate Cælum
 Nobilitat, pars est relligiosa puer.
Illa DEI Nati (mea lux nascentis) Imago,
 Indelibatum vult tueatur onus.
Et sibi, non vobis, deberi lustra creati,
 Et sua, non Vestrûm, signa profana sequi,
Si qua cohors, pravi contraria legibus orbis,
 Signa Ducis JESU, militiamq; gerit;
Lacte priùs, nondumq; aurâ vel luce potitus,
 Isti ego militiæ nomina Tyro dedi,
Lacte prius dedit arma polus, labarumq; sagumq;
 Unxit, & Athletam currere misit humi.
Pro labaro micuit Sol Nomine scriptus JESU,
 Pro sagulo, croceæ purpureæq; Cruces.
Nam lucẽ ingressũ, lapsumq; puerperæ ab alvo
 Ut plorante tulit terra noverca sinu;
Spectâstis, vestros oculos pro teste rogamus,
 Quod scio, depromptum Margaris ore scio.

Totum,

Totum, quantus eram, totum spectâstis in ostro,
Plurima quod pinxit Crux imitata rosas.
Totus eram Tyrius pugil, & Commilito Regis,
Solenni partum qui cruce nomen habet.
Hæredem crucis ille suæ me scripsit, & artus
Stellato crucibus vestiit ille sago.
Quid mihi vobiscum? poteram dixisse videri,
Castra? genus? Fasces? Regia? fiscus? honor?
Et genus, & titulos præstat Cælestis origo,
Nec mea Sidonium purpura virus habet.
At tibi qui sensus tandem de prole petita?
Missilis exsultim lacryma læta docet.
Dumq; artus teneros, oculis propè captꝰ, oberras
Oscula dumq; hospes pusio mille subit;
Non aliter, quàm me Cælestûm pignus amorum,
Nec secus, ac tibi sim credita gemma, tenes.
Mox quasi Divinum, nec contrectabile pravis,
Indigetûm sacro limine ponis onus.
Protinus ornantur festis altaria ceris,
Traditur Auctori sarcina vincta DEO.
Tradux noxa perit, Cælestibus obruta lymphis,
Inde aris, inter liba cruenta, locor.
Farre salutifero Mystes, tu prole litâsti,
Tu lacrymis, Divo sangvine Templa madent
Dumq; penetrales ferit Eucharis hostia Cælos,
Parva feror, verum pars ego parva, sacri.
Voto

Voto utrinq; pari, sit Amor, sit gloria Divûm
Sit Stanislaus servus, honorq; poli.
Deniq; jurâsti, placeat modo Kostka Tonanti,
Te velle in puerum juris habere nihil.
Nec memoro infantes Lucinæ desidis annos,
Quidquid in his tulerit prodiga forma spei.
Primula vagitus inter, tentataq; verba,
Vox fuit æthereæ Regia Virgo plagæ.
Errabamq; puer. Matrem dum disco vocare,
Margaris hâud balbos apta subire sonos.
Marga voco ritam, Mariam sed lingva quiritat;
Dexter, & errandi nescius error erat.
Venimus ad Soles primo temone rubentes;
Mens ubi per rimas nictat opaca breves.
Tunc mihi vix quartā Nutrix mentitur aristam,
Jam feror acclini poplite nôsse DEUM.
Auctoriq; cadens, ferio sola, fronte tenellâ:
Et, quasi conspecto Numine, tendo manus,
Paulus amat phaleras, ferit arcu, tympana vexat,
It Phäëtontæo turbine mimus eques;
Alter adorata vel in icone figit ocellos,
Vel pia turrito pegmate Sacra struit.
Disjicis hæc (memini) cùm me, quis nescio zelus
Urit, & accusat multa querela nefas!
Ut fuit Æneæ, facibus dum fortè Penates
Vindicat Iliacis; non fuit ira minor.
Septi-

Septima Sarmaticas hyemes jam vicerat æſtas;
Mens firmo occœpit ſiſtere noſtra gradu.
Et ſenſim Divina pati, Cæliq; theatro
Abdita clàm pietas liberiore frui.
Humida luciferos urget sêu Luna jugales;
Ad Superûm affatus incitat ipſa quies.
Lampade sêu Titan riſit; me Cælicus ardor
Vel ſtrue lignorum, vel lare tectus agit.
Furta notas, & me Ludis puerilibus urges:
Concinnoq; jubes protinus eſſe choro.
Parce Pater (dixi) *non me temeraria palpant*
Gaudia, non ſaliæ ſtulta catena rotæ.
Delicias cum lacte puer, cum tempore damnat,
Non, immunde tibi, non tibi munde, ſatus.
Plura locuturum, menſæ committis & aulæ,
Ignarus, quantos menſa datura metus!

FOrtè dies Procerũ egregios tulit hoſpite vultu
Auro luxuriant vina, dapeſq; ſcatent.
Marmoreo lepidus fidicen ciet orgia poſte,
Pars ſalit in gyrum, pars cythariſta canit.
Hìc aliquis ſermone (pudet meminiſſe) venuſto
Carmina feſtivæ dat Venuſina lyræ.
Audaceſq; tropos vomit improbus ore petulco,
Fæda queis ſpargit lena venena Venus.
Horru-

Horruimus! fuſusq; rubor deſcivit in aurum!
Nunc roſa, nunc vincit flavida cera genas:
Concava tabeſcunt ut vitra afflata vapore;
Marcet ut ignivomo Flora peruſta cane,
Ut mador argenti eſt calidæ per cæcuba menſæ,
Marmora prægelidus ſudor ut alba lavat;
Aut ſic, aut maduit pallor magìs ore cadenti,
Non intellectos dum vehit aura tropos.
Tandẽ oculos rigor affigit, cêu Gorgone (*a*) visâ,
Vita, exantlato pondere, vergit humum.
Parcite laſcivis, iterum rogo, parcite! clamas,
Si cordi puer eſt, ſi mea vita, jocis!
Id niſi clamâſſes, tenues puer îſſet in auras,
Penè tuâ Cypridis victima facta manu!
I modò, Stanslao vel amores ingere mundi,
Vel circos, quibus eſt non odioſa Venus.
Quid fata accerſis? toties ſi morte luendum,
In Paphios quoties proſilit aula ſales?
Moribus his, qui cōpta optat, qui lubrica pompæ,
Circæâ (*b*) tragicam conſtruit arte necem;
Medeæ (*c*) Abſyrtum locat, Ædipodẽq; (*d*) Jocaſtæ
Theſtiadi (*e*) fruticem dat Meleagre tuum!
Hanc animam tentabis adhuc lactare profanis?
Parce! quid innocuo juſta, rogumq; paras?
Parva tulit nimias, Te dante, modeſtia laudes,
Ceû foret Angelicis cætibus apta coli.
Diffi-

(a) *Meduſæ caput, angues habens vice crinium, quod qui intuebantur homines, vertebantur in lapides.* (b) *Circe fœmina veneficiis dedita: quæ poculis & carminibus homines mutabat in beſtias. Ita Socios Ulyſſis vertit in porcos. Hinc Cicero Or. 2. in Verrem lu-*

Diffiteor, ſed, ſi corpus gerat Angelus; una,
  Quò cito migremus corpore, cauſa dabit.
Scilicet hos potius diſſolvet ſpiritus artus,
  Quàm feret Idaliæ ſontica metra Deæ.
Nec te decipiat, quaſi devia firmior ætas
  Sponte remolleſcat, more ſubacta nivis.
Faſtidita ſemel, teneroq; inviſa palato
  Oderit, ut meliùs cautior æra ſapit.
Turpè, vir ut Juveni cedat, pubiq; juventa;
  Non ero diſſimilis virq; puerq; mihi.
Quin agis, & Florem cuſtodibus inſeris hortis,
  Hìc ubi laſcivo non queat ungve capi.
Lojolæ Domus eſt, ubi ſcripti Nomina JESU
  Purpurei flores, lumina caſta virent.
Eſt illis animus vitam ſociare manîplis,
  A Socio nomen qui meruere DEO.
Tu modo ferre proba, Koſtkā, vexilla Tonantis,
  Quæ rapuit, nondum quando creatus erat.
Nec prohibere potes. Praſnisî Fana (*f*) reviſe:
  Ara citat pactam ſolvere tacta fidem.
Pollicitis ſi nullus honos? altaria rurſum
  Reppeto, quæ tetigi pumilus, inde trahe.
Hoc facies? ubi Dî pietas? rata, cæſa, juvenci
  Ritè crematuro ſurripis exta foco!
Quisquis eras, qui me vix natum conjicis aris;
  Nunc tua neſcio quo dona furore petis:

Heu

dit: Sic repentè, ex homine tanquam Circæo poculo, factus eſt Verres. (c) *Abſyrtum puerum ſoror ejus Medea, laceravit, ut retardaret Patrē inſequentē, dum illa cum Jaſone fugit.* (d) *Jocaſta Œdipi parricidæ Mater & uxor funeſtiſſimā,* (e) *Althæa Theſtī*

Hêu moneo! non eſt temere violabile Numen!
  In perjurantem torſile fulmen habet.
Quid? quod ego Veſtris, tenero flam̄atus ab ungue
  Svaſibus, ora DEO relligioſa dedi?
Perq; meam geneſim, venerabile ſidus JESU:
  Per Superos, quotquot Numinis aula capit.
Per Dominam vovi gravidatam prole Tonante:
  Me ſocium Nati vivere, meq; mori.
Vis valeam? vitare jube perjuria, nosq;
  Non facias voti longiùs eſſe reos.
Annue, ſic noſtram redimis, tua gaudia, vitam,
  Vel, ſi ſolicitant te mea fata? nega.
Quem perdes, dederat nuper jam vela Charonti,
  Ni pulſam attraheret Soſpita Virgo ratem.
Vive puer! dixit: vacuus Styga portitor hauſit,
  Et merſa incolumi littore cymba ſtetit.
Dixit; & admonuit: *moreris Patriq; tibiq;*
  Vive meo Nato, pars mea, parſq; DEI!
Illa dies veſtrum jus mecum extinxit! ab illo
  Tempore, quo poteris dicere jure tuum?
Quæ tumulo remeat, quam dant miracula vitā,
  Non eſt mortali debita vita Patri.
Tandem durus eris? nec Te data pondera flectent?
  Ibo, vel irato perſequar auſa Patre!

Dulcè

filia; à Parcis ſtipitem accepit, in quo fata filii ſui Meleagri ſita erant. Ob cæſos fratres ſuos, irata in filium, ſtipitem igni injecit; & illico Meleager extinctus eſt. (f) *Ibi S. Stanislaus Sacro tinctus Fonte eſt.*

Dulcè, ferox pietas, inimicos nacta Penates!
Dulce Domûs odium, dum lubet astra sequi.
Criminis obtentu, causâ cadat obruta virtus;
Sanctum hoc, vel Te olim judice, crimen erit
Pulchrius hoc, ut ego sim victima, Tuq; liturgus
Te quia non rapit hæc gloria, solus ero.

Ex Libris Romualdi [illegible]

EPISTO-

EPISTOLA VI.

Ad PAULUM Fratrem. Ex Itinere Dilingano. *Stanislaus Kostka.*

ARGUMENTUM.

QUi discedentem Viennâ Stanislaum posteritati denarrarûnt; memorant Paulum, ex profectione Fratris consternatum, tristem, & anxium, multa secum animo volutâsse. Condictâ demum profugi investigatione; equos veredarios, quadrigasq; conducunt. Sed, quam terrarum partem, quos tractus arrepturi essent? ignaris, obvia fit anus seu venefica, seu energumena. Ab homine

D Luthe-

Lutherano Kimberker dicto, ædium, quas Nobilissimi Fratres incolebant, domino, quæsitam ferunt. Hæc edicit Stanislaum versùs Augustam Vindelicorum iter adornâsse: plùs quàm decimo ab urbe milliario, brevem noctem egisse: nominavitq; diversorium. Continuò viam ineunt: Paulus, Bilinscius, Kimberker, & ex famulitio nonnulli. Consequuntur tandem peregrinabundum, nec agnoscunt. Species enim personata Viri (ut fertur) canitie veneranda conspicui, objecta illis est: cui sportulam liberalem Paulus projicit: inquirit de Fratre: dignitatem formæ, ætatis, oris, describit. Respondet Stanislaus: Adolescentem verbis delineatum, videri sibi, non posse longinquum esse: hanc enim ipsam, (nisi fallitur) semitam trivisse. Pergerent Diis faventibus: se tam profusa largitate captum, exoraturum superos, ut secundo voto cadat eis profectio. Provolant isti; Stanislaus verò in obliquum campum se projicit, & proximis virgultis tectus, evanescit. Sed à tergo proditus, ex itione, humeriq; iactatu, dignoscitur, proclamaturq; is ipse fugisse, quem jam oculis tenebant, Stanislaum. Retro igitur viam repetunt. Sed ille, insequentium odoratū, vario per salebras meatu eludens, tandem offendit in ripam torrentis, vado tranari difficillimi. Hunc, invocatâ Virgine Deiparâ, dicto citiùs transmisit

siccus Viator: nisi credas Angelicæ manus remigio prætervectum. Premit Paulus vestigia. Sed alvei difficultate impeditus, reversionem, longo circuitu, ad usq; sublicium pontem facit. Hìc verò major in sicco tempestas. Equis enim Divinitus incussus torpor, nullis stimulis, vociferationibus, verberibus cessit. Qui, cùm lecticam, cessim eundo, in præceps; Sessores in profluentem agere minarentur; retro autem, Viennam versùs flexi, obsequerentur alacriter; iterumq; relegere viam adacti tergiversarentur acerrimè; vim naturâ majorem omnes agnoverunt; & reveriti sunt. Itaq; Stanislao liberum commeatum; sibi reditum decernunt: adeò famâ prodigii celebratum; ut Paulus redux pronuntiaverit: se, si certissimis nunciis deprehendendum sciret Fratrem, gressum unum non moturum, persequendo; ne vindicis cœli majores iras in suum caput provocaret. Pleraq; horum, Divus ipse Stanislaus, literis consignavit, ad arcanè familiarem, sibiq; intimum Ernestum Hoffmann, Sodalem Viennensem, Dilingâ datis: quæ nos, mutatâ Personâ, quasi ad Paulum exarata, convertimus: adjectâ, quasi Stanislao per somni imaginem repræsentata fuisset, Pauli pœnitentiâ. Nam Is vitam in summâ austeritate actam, & Sancti sui fratris, jam in Beatorum numerum adscripti (cui sacellum & a-

ram posuerat) cultui devotam, in Societate JESU (quam venerabundus ubiq; cum præfatione honorifica, Sanctam appellabat) consummare optavit, & à Rdissimo Patre Claudio Aquavivâ, Præposito Societatis Generali, obtinuit: eâ conditione, ut Romæ Tyrocinium iniret. Quò dum properat, & de Fortunis disponit; optimo fine, cum magnæ opinione Sanctitatis, Petricoviæ vitam carnis posuit. Societatis JESU Candidatus, Anno 1607. 13tiâ Novembris. P. Bartoli & P. Tyłkowski. Item: Sacchinus: de Vita & fine Pauli. Pr. Nadasi in Anno dierum memorabilium Soc. JESU 13. Novembris.

Epistola.

PErlegis? an odiū fixum vetat? ægraq; torques
 Lumina? cumq; suo fit liber exul hero?
Inspice: juvit enim multos inimica litura:
 Sunt inimicitiæ, quas deamare decet.
Fortè fugæ latebras, data sit, seu capta, tabella
 Deteget, usa animi proditione mei.
Fors, nec opinanti, dum tractat leniter ulcus,
 Flebilis officium cera medentis aget:
Quàmq; vel ipse velim, vel pāgeret ullus Achates
 Plus nota, quod discas, quod meditere, dabit.

Jamq.

JAmq; ego (non utinā mea me sentētia fallat!)
 Te fibram Eteoclis dedidicisse reor:
Non internecio fax est, nec viscera condis
 Ædipodionio (*a*) diffugitura rogo:
Conscia germani laticis te fortè flagellat
 Venula: & invito perdoluisse liquet.
Occupat ulcus amor: vitamq; fugatus acerbat,
 Frater, hydros jecoris pacificare potens:
Expetis amissum, creberq; requiris, & ædes,
 Tanquam parte animi dimidiatus, obis.
Prosilit injussis oculis fluor: editus imo
 Corde sonat gemitus; Stanesilàé redi!
Frater ama! redeo! Pauliq; in brachia curro:
 Oscula mille genis detero, mille labris.
Fortè nec agnoscis peregrino schemate cultum,
 Præsentemq; avido lumine quæris, ubi es?
Intus ego! intus ego! mentis penetrale saluto,
 Inq; tuo fessum corde repono larem.
Scire voles quid agā? (nam te coquit ista cupido)
 Quas pede tento vias? quas peto mēte plagas?
Differo: meta mihi Deus est; dat Olympia mūdꝰ
 Quo-me-cunq; fero, sector ubiq; Deum.
Solivagum, poscis, toga quæ, quæ sustinet esca?
 Defrustata toros penula vilè tegit:
Pensilis ex humero, pluviis obsistit aluta:
 Prodroma cænosum pertica ductat iter:

 Can-

(*a*) *Eteocles & Polynices Regis Thebarum Ædipi, ex Jocasta, Filii, dum de Regno dimicant, mutuis vulneribus ceciderunt. Funus amborum, eidem rogo commissum: flammâ bifariam in aversas parts abeunte: quasi fratres nondum odia posuissent.*

Succinctum corio latus, arcta cucurbita vexat:
Vapulat esculeo concita sura cavo:
Sole caput cinctum, petasunculus ater oberrat:
Frigoribus foculum præbet anhelus amor.
Pera sed alma penus, cujus mihi mucida frusta
Dant Luculle (*a*) tuas, dant Caracalla(*b*)dapes
Nec meliùs calido cænabat Apicius (*c*) auro,
Mulctavit laqueo qui trepidante gulam;
Lautiùs, à vitulo traxit qui nomina Cæsar, (*d*)
Non sapit, ut nobis Tethyde juncta Ceres.
Quid? placeone tibi? vel nasum ducis? & ex tunc
Cêu luteum Codrum, pellis abire procul?
Quòd si ego servitiis addixero Paule lacertos?
Meq; exercuerint cacabus? aula? veru?
Non ringere, tuus si fortè toralia sangvis
Straverit? aut scopis (ringere!) radet humum
Ringatur, pretium rebus qui ponere nescit,
Jura Superbiolæ qui nequit æqua dare.
Nam, cui vesani sordescit hyperbola fastûs,
Digniùs ex humili tractat inane suum:
Gestit in abjectis, qui calce petivit honores:
Diffitus à laqueis, aurea furca, tuis.
Si fuit Augiæ Stabulum labor Hercule dignus;
Non minor est Virtus vilia ferre sagax.
Tu Paule, eximios Fasces, columenq; superbũ
Concipis; in triviis vernula frater ovat.

Dic,

(a) *Lucullus omnibus deliciis affluens, & in conviviis sumptuosus* (b) *Hujus cognominis erat Antoninus Cæsar, Compransor Splēdidus.* (c) *De hoc Seneca.* Apicius scientiam popinæ professus, cùm sestertium millies in culinam congessisset; cùm congiaria

Dic, quid agis, mi Paule? struis super àëre Trojam
Ille æquata solo Pergama Victor arat!
Utq; cadens, meliùs cælestia palpebra tangit
Corpora; sic latebris tutiùs alta petit.
Crede mihi: qui vestra spuit fastigia; punctum,
Unius studio Numinis, omne tulit.
Et Cælum in famulis comprendit & astra culinis
Quisquiliæq; poli semen, & instar habent.
An capis hæc, mundi cepit quem, Paule, tyrañis?
O utinam in passus proripiare meos!
Tunc mihi tu alter ego, tũc fratrẽ, frater haberes
Militiæ comitem, militiæq; Ducem.
Sed te livor edax, tristisq; instigat Erinnys,
Acer ut in nostras præcipitere fugas:
Non imitaturus vestigia nostra sitîsti:
Ferre sed ex capto fratre trophæa calens.
Diceris, ah! doleo! trepidat mens credere dictis!
Falsum est! o! mendax fama sit ista, precor!
Diceris, hêu nimium! nimiumq; oblite Tonãtis!
Tessalicam precibus solicitâsse strygem.
Impia te docuit, qua parte, venefica, Fratrem
Strinxeris: hâcne tui præda petenda cane?
Jamq; artes stygiæ tibi sunt, jam frater Alastor?
His comes, in profugum corripis arma caput.
O scelus! o nullis abolenda piacula flammis!
O diræ! exclusit vipera quale nefas!

D 4 Tunc

Principum, & ingens Capitolii vectigal singulis comessationibus hausisset; ubi intellexit nonnisi Sestertium centies jam sibi restare; suspendio vitam finivit. *Notandum autem, quòd centies Sestertium continet ducenta quinquaginta milliaq; aure-*

Tune hæc ausus eras? tu Kostka? negabis, opinor
Kimberker, dices, hoc sibi sumpsit opus:
Peccâsti! quamvis Kimberkeriana patrata
Hæc fuerint; tamen id culpa probâsse fuit.
Quid tibi notificant furvæ cantamina Sagæ?
Forte DEI Matris castra pavenda monent.
Utq; viatoris Kostcæ studiosa sit illa?
Utq; suum, auxilii prodiga, tutat iter.
Hospitio (dixitq; locum) *noctem egit in illo*:
Plùs lapide undecimo prima petita quies.
Tramitibus velox, Augustam respicit, inquit,
Credite sortilegæ: decipit illa parum.
Scilicet, Augustæ pretioso nomine, Virgo est,
Respiciunt cujus jugera nostra sinum.
Quàmq; sit illa potens, manifesta pericula, Paule
Quando tuum fratrem persequerere, docent.

Ibat is, & quantùm urbs oculis vitata recessit,
Se tantum à cippo credidit esse procul.
Præcipiti cùm fessus eques ruit arva veredo,
Rhedaq; Dædaleis pulverulenta rotis.
Nil metuo, miseramq; stipem mendiculus oro:
Nummus in expansam labitur ecce manum.
Carmen, adoranti similis, pro munere solvo,
Atq; supercilio sternor ad usq; solum.
Cum

orti. *Timuit, ne fame enecaretur frugalis homo, si tam exiguo viveret.* (d) *Vitellius Cæsar, gulæ ventriq; deditissimus.*

Cùm, citò muneribus vox addita, perculit aurē:
Heu! miser! agnovi! semianimisq; fui.
Fratrem expilcaris: tremui, sic nutat arista
Ancipiti Zephyro; fraxina virga Noto.
Exsangves subitò gelidus pavor increpat artus:
Turbine ut incussas surrigit horror aquas.
Vultibus exanimor: poterantq; arrecta videri,
Tempora Cygneas assimulâsse nives.
O! bene palluimus! functus namq; æg de pallor
Marcuit in rugas: vitaq; visa senex:
Decipimusq; ambo: tua, me sectantis, habena
Luserat; & mea, te, perdita forma metu.
Tunc tibi, tunc, de me, quid nescio, multa rogāti
Vix potis, ut memini, talia verba dedi:
Quem mihi depingis, si me non fallit imago,
Hâc abiit, quà tu progrediere, puer.
Perge, potes par esse gradu: dent Numina calcar:
Hìc labor est; & erit gloria magna, sequi.
Ultima dicentem, fugit acta quadriga volatu:
In latus, obliquo tramite, fundor ego.
Prata meas miserata vices, jecere salictum:
Confugium, ut lepori, dat fruticosa palus.
Vix malè delitui: mox garrula personat echo:
Ipse fuit, quem nos quærimus, ipse fugit.
Admonet ossa sonus, strident equitesq; rotæq;
Attoniti frutices, attonitusq; fui!
Nomi-

Nomine compellor: nomen geminando myrica
Visa fuit nostras increpitâsse moras.
Ergo ruo, velut à canibus fera mota cubili,
Per sata, per vepres, invia tesquá feror.
Multimodisq; erro, velut ungvibus icta colūba,
Tacta vel à rabidis cursitat agna lupis.
Ecce cadit torrens non usq; meabilis Unda,
Tu prædæ insistis, tergaq; nostra premis.
Hinnulus alter eram, tu vertagus; æquora terræ
Conjurant, nostris insidiata malis!
Hêu perii! exclamo, *Nymphæ, miserescite Nymphæ!*
Si fugitis? vestræ me sociate fugæ.
Tuq; adeò Virgo, cujus mare Nomine gestit!
Diximus, & pondus ripa secunda tulit.
Ut strictim excussus ferit immersabilis amnes,
Pervolitatq; audax temnere discus aquas;
Sic me nescio quis levibus rapit impetus alis,
Quas timor, & transtris ocyor aptat Amor.
Interea, vitrei dum temno fluenta profundi;
Visa capillatum forma referre senem.
Terruit obversans barbatula memet imago,
Fallsus ut Acteon terruit ore canes.
Vana sed hæc simulacra solent fabricare pavores
Spumantiq; creat vortice crispa Thetis.
Non eadem favet alga tibi; qui nostra levavit
Nereus, adversum, corpora, mersat onus.
Tuq,

Tuq; retrocedis. sic cessat anhela canum vis,
Retia fulmineo dum pede Cerva scidit.
Respirare licet tandem: Dominæque potenti,
Quæ Volucrem absolvit casse, celeûma dare.
Hoc facio, tremulosq; artus in metra resolvo:
Cor micat, & Musâ Virgine vena salit.
Vix aliquid cecini; cùm tristi inconditus àër
Murmure, *proh miseros!* vociferante crepat.
Currimus in vocem: versa est ecce alea belli:
Vestraque jam noster trajicit ossa pavor.
Bellua nequicquam stimulis torretur adactis,
Calcitrat, & præceps ponte minatur iter.
Biga furit, rectorq; ruit jam jam esseda prona;
Fit clamor; superos Sessor inanè vocas.
Sic Phäëton frustra urget equos temone rebelles
Sic te ponè citant funera Sole sati.
Paule, fuge, ut vivas! liceatq; impunè reverti!
Si tibi mens sana est: si tibi lucis amor.
Hæc mihi verba movet vester miserabilis horror
Viscera nostra simul dum tibi, teq; timent
Auxilior votis, placabile postulo Numen,
Penè mihi infensus, commoda vestra precor.
Perdite! vorticibus, me non miserante, dedisses,
Dædala cêu proles, corpora, nomen aquis.
Sed mota est nostro, pro te, mitissima planctu,
Et rata, quæ dedimus, verba Maria tulit.
Sospes

Sospes eat, vivatq; tuum pia Virgo trophæum:
Quàm procul à nobis, tam sibi Soter eat.
Hæc ego: retrogrado pontem eluctata meatu
Biga suas repetit, non revocanda, vias.
I! cano, dexter abi frater, longumque valeto!
I! cave, si longum vis valuisse, sequi.
Si certare, pares, mecum cupis, indue parmas;
Et pedes, & castris utere marte pari.
Sisque utinam, qualem nugacis inania somni
Te velut in speculis exhibuere mihi.

LUcus erat; totosque Phlegon efflaverat ignes
Defessum invitat fagus opima caput.
Huc subeo,& condo partum de fratre triũphum:
Palmaq; visa meam cingere velle comam.
Tegmine sub viridi, Zephyris algentior umbra,
Sidentem placido recreat hospitio.
Victa fames,duro,quem prõpsit mantica, pastu:
Escatebris vivo flumine victa sitis.
Ad mea venisses utinam jentacula Paule!
Placâsset bilem frigida fortè tuam:
Et baccæ agrestes, & mora nucesque colurnæ,
Fortè vagam poterant exhilarare gulam.
Imò aderas. Animo nec enim mihi Paule recedis
Tecum ego convivo, colloquiisque levor.
Invi-

Invidiæ si quod ferat me, teq; duellum;
Lautitiis melius sustineamur uter?
Invideas, dixi, *Frater mihi, non ego Fratri.*
Mox oculis furtim lenis oborta quies.
Morpheus incubuit, fecitque papavere molli
Obruta, gramineo stertere membra toro.
Incipit artifices somnus simulare figuras,
Meque tuâ sistit Visio falsa Domo.
Rebar ego me Rostkovios lustrare penates:
Teque unum patriis imperitare focis.
Macra situ facies, suffusaque palpebra nictu,
Esuriem, & lacrymas, signa severa notant.
Intima contemplor; tu culta Lararia pandis,
Inque preces fuso poplite verris humum.
Non piget immodicis sævire in terga flagellis,
Quosq; humeros aluit Purpura; lora secant.
Nescio quem Divum radiosa tabella ferebat:
Namque ignarus erat visibus ille meis.
Effigiem cerni, vel si bene noveris, arcet
Pars auro, nimium, pars adamante, jubar.
Supplicibus placas hunc tu genibusq; genisque
Interdum abripitur sermo dolore satur.
Parce precatori Fratercule, parce! gemebas:
Præ Te uno, qui te cæderet, ecquis erat?
Inde redux, mandas currus onerare paratu;
Et quasi longinquum præmeditaris iter.
Quidquid habes, inopi turbæ profundis, avesq;
Te

Te solo, & toto dives abire DEO.
Quo tandem? mærens sed mussitat Aula: volēte
Te septemgeminæ visere templa DEÆ.
Mox calamū digiti rapiunt, & epistola crescit;
Quam parte effundit lacryma; parte stylus.
Tunc ego prolubio raptus, cupidusque legēdi,
Urgeo suspensum post tua terga gradum:
Sed serò accurri! summæ data clausula ceræ;
Compositumq; gravis gemma sigillat opus.
At bene de titulo legitur mihi vocula: CLAUDI
Alteraq; insedit vox AQUAVIVA libro.
Plura velim, dextroq; inhians, oculoq; sinistro:
Sed vetat umbra manûs invidiosa legi.
Quisquis hic est, mihimet dixi, *ferat omnia Paulo:*
Ut portum attingat, viva secundet aqua.
His capiebar ego: trepidis cùm Morpheus alis,
Te rapuit, mihi me perfuga restituit.
O quantùm incessor lacrymis! ruptiq; soporis
Noxia culpando lumina, flere volo!
Quàm metuo, casso ne structa idola vapore
Ut me destituunt, sic mea visa lucro.
Paule age, divinum fac me, fac vera videntem,
Divina insinuat lumina sæpè sopor.
Manticulatoris mundi fuge somnia Paule:
Fac, mea ne fallant somnia, Sanctus eris.
Hêu! quàm te cupio ad sublimia velle valere:
Velle sat, ut valeas currere summa. Vale.

EPISTO-

EPISTOLA VII.

Ad Illustrissimum Parentem
JOANNEM KOSTKA
Regni Poloniæ Senatorem,
Româ
Stanislaus Filius.

ARGUMENTUM.

COgnito Filii Romam perfugio, Joannes Pater, objurgatorias, & acriter minaces literas ad Stanislaum dedit. In quibus, cæptorum temeritatem impietatemq; Splendoris Prosapiæ, ex rustico mendicabuli habitu, ignominiam; indignitatem sangvinis, erra-

rabundo exprobrat. Caveret unquam videre Patriam, monet; futurum enim, ut pro aureis torquibus & purpurâ, quibus eum indutum voluit; ferreæ compedes & ergastula, degenerem compescant amentiam. Ad has literas respondere jussus Stanislaus, ubertim lacrymis colliquefieri cæpit: miseram Parentum suorum cæcitatem deplorare se dicens, qui DEI dona usq; adeò ignorarent; ut doleant filium à DEO, in cætum familiarium suorum adlectum, in cælestis Principis Aula, nullâ eorum impensâ, versari. Quas illi minas congererent, sua vota esse: nihilq; beatiùs sibi optabiliusq; obvenire posse; quàm, amore illius, qui tam multa pro nobis est passus, exquisitissimæ immanitatis obire tormenta. Hos igitur similesq; sensus, quos apud Sacchinum libro 4. in Borgia legere est, in paginam effudit.

Sacchinus, Skarga, Bartoli &c.

Epistola

Epistola.

NUlla meis oculis libata est Vestra Parentis
Pagina, quæ lacrymis non natet uda meis.
Svaviolis mille uncta Patris Nomenq; manusq;
Et totidem nimbis immaduêre Notæ.
Causa biceps laticis, pars dulcis, pars peramari:
Ah! nisi Te doleam, pura volupta foret.
Pars mihi de cordis saliunt solatia fonte:
Pars consternatum de Patre, flere jubent.
Quòd terres, mea sunt Votorum sum̃a, caputq;
Sed quòd vituperas, causa dolenda tua est.

HEu! quàm Cim̃eriis acies mundana tenebris
Oblita, nil sanctum, nobile nilquè videt!
Quàm procul offendens recto à libramine rerũ
Sensus abit, toto lippulus erro polo!
Arguis ut refugam; labem oggeris; aula refutas;
Sangvinis opprobriũ, degeneremquè vocas:
Argue, queis tabulas præbẽt freta; quosq; juvabit
Vulcano elabi depopulante rates.
Nam, nisi naufragiis, Mundo quæ fama paratur?
Et, nisi de Paphiâ, pars quota præda face?
Carbasa navifragis properè demittere Cauris,
Inquè Pharo condi, scilicet hoc fugere est?

Atqui

Atqui ego perdidici, Te ſæpè dolente locuto,
Quàm ſit inexplicitis ſtructilis Aula dolis.
Ut malè blanditur vitrei pellacia ponti;
Sic malè Fortunæ credulitate rapi.
Faſcina damnabas opulentæ perfida pompæ,
Hæc (quaſi præciperes) cærula nata fuge.
Audeo; & arbitriis curſum compono Magiſtri;
Quò tua me pietas mallet abire, feror.
Labile defugio, capto inviolabile ſertum:
Hac Patris, eſſe poteſt arte, corona puer.
Quòd ſi obluctantem precibus non ante còégi;
Da veniam, haud licuit plus nimis eſſe pium.
Sic me format amor, cui pareo, cuncta creantem
Auctorem reverens; eſt Pater ille Patris.
Tu pugnas, vocat ille ſequi: quis dignior auctor?
Ille dedit; pignus flagitat Ille ſuum.
Sed tibi multivagi pueri via dedecus adfert:
Eſtq; ingens, habitu paupere Koſtka, pudor.
O cæcū ad ſuperos, quos pēdere temnis, honores
O deplorandum, vaniloquumq; typhum!
Attonuit Lechicum Sapientia Veſtra Senatum,
Orantisque calor pondera legis habet.
Nunc Tibi Cæligenæ Regis puer aſſecla probro (eſt;
Deficit hoc uno Pallas amuſa loco.
Cernis, ut inferiis fora flagitioſa laborant?
Deque unâ bellat futilitate Sagum.

Cernis, ut ambitio fraterna in funera ſævit?
Liventûmque iecur ſors aliena vorat.
Hic Baccho ſacer eſt, iras litat alter Erinni,
Proh pudor! Idaliæ ſupplicat alter Heræ.
Iſte flagellat opes, & opum variata flagello,
Ad Ceteris Generum, (*) victima lauta ruit.
Elige cûi natum ludo aſſeris? aſſere, ſi quis,
Si quis honor mundo mundior eſſe poteſt.
Quãtùm heu! mica bonis præſtat Divina caducis
Quantus honor, Chriſti ſigna coruſca ſequi!
Crede mihi: ſordent ditiſſima Caſtra Canopi,
Præ Duce, cûi noſter prælia iurat amor.
Ille mihi Superûm Stellata Palatia donat:
Quæ, de tot populis, rara prehendit avis.
Ille, ſuos inter, vult magnificare Dynaſtas,
Meque Palatinis annumerare ſuis.
Hìc epulæ, quas nulla poteſt æquare voluptas:
Quas, niſi tecta Poli delicioſa, creant.
I nunc, cæpta tui pueri temeraria damna!
Fortunam damnas neſcius ipſe tuam.
Quò mihi Phryxæã pecudē, phaleraſq; monilis?
Quò Tyriæ memoras fuſca venena Togæ?
Celſior his tangi fugito, nec tangere dignor:
Et, niſi ſim vanus, digna nec ungve velim.

FErrea me ſcribis pedicaſq; & vincla manere:

(*) *Pluto Deus Inferorum, vocatur gener Cereris, cujus filiam Proſerpinam rapuit in uxorem.* Cicero in Verrem Et Claudianus.

Hìc tandem exſultim patria verba lego.
O! mihi ſi tantum tribuat Regnator Olympi
Numinis; ut potiar verbera vimque pati!
Unigenæque DEI, cujus me purpura nutrit,
Sit meus, illius mortis imago, cruor!
O quàm proſiliunt Chriſto mea membra litari!
Proquè unam paſſo, mille ſubire cruces!
In mea Divinus præcordia militat ignis:
Quid, niſi crux, igni præbeat alma dapem?
Utquè ſolet tædis viduata fameſcere flamma;
Si neſcis, ardent hâc mea vota fame.
Jamq; mei Regis me dulcia vincla catenant.
Mequè ſuis clavis, Divus adegit amor.
Pone minas! ferro vinctum ſi fortè præoptas;
Sum tibi, ſum Chriſti compede vinctus ego.
Verte ſtylũ, & nato Genitor bona verba precare:
Sic diuturna ſalus, ſic Tibi ſoſpes eat.

EPISTO-

EPISTOLA VIII.

SANCTUS STANISLAUS KOSTKA Ad Amorem Divinum

Ut ſe totum poſſideat & occupet.

ARGUMENTUM.

BReve curriculum vitæ novem menſium, & aliquot inſuper dierum, quos Divus Stanislaus in Societate JESU egit (nam 28. 8bris Die ſuo Natali, Tyrocinium auſpicatus, 15. Auguſti conſummavit) tantâ Spiritûs Divini fervoriſq; animi perfectione cumulavit; ut uſitata Religioſæ diſci-

 plinæ

plinæ munera obiens, quendam illis splendorem præcipuum adderet, fieretq; vivum omnibus cunctarum laudum exemplum & spirans forma, etiam in vultu amabiliter promicantis, omnigenæ Sanctitatis: Non per intervalla summi Boni fontem regustans, sed assiduè potans, & continenter Illi inhærens: ait Sacchinus. *Hìc igitur, seriẽ actionum exercitationumq; suarum quasi discutit & recolligit Stanislaus, quò studiosiùs amorem Divinum sibi conciliet.*

Epistola.

SIc, ubi lustra vocant, Titanius (*a*) æstuat Ales:
Ipse sibi dulci dulcior esca foco.
Lenta repercussis incendia provocat alis:
Phæbæas questus frigida tela faces.
Tædet odorato suffimine summa cremari;
Dum nõdum cinis est, dum tepet igne vigor.

O Amor! ut lento molimine præcoquis Arcũ!
Ut sæpè incassum jacta sarissa perit!
O Amor,

(a) *Phœnix, qualem describit Claudianus.*

O Amor, ut parcis! patuli jejunia cordis,
Vix summo igniculi turbine parcus adis!
Non mihi Riphæâ torpent penetralia caute,
Nec glaciat nostrum Parrhasis Ursa jecur.
Siquid ago, fæcunda seges circumstat Amorum:
Suntquè stylus pharetræ terra, polusq; tuæ.
Sive coronati specto viridaria veris,
Fertile sermonem gramen amoris habet.
Sive satos frutices, pomolaq; germina carpo;
Hæc tibi dona tuus parturit, inquit Amor.
Dum Luna assurgit, dum Sol ferit aureus Orbem
Structorem assimulant Lunaq; Solq; suum.
Pulchrior his, longeq; suis formosior astris,
Sublinit obtutus Phæbe Sororque tuos.
Conde Diana tuum, condat coryton Apollo;
Spicula vestra subit vix fera, nullus homo.
Nostra Leone DEUS qui corda sagittifer urit,
Sole suo fundi sauciat ima mei.
Ille penetrales meliùs dissēminat ignes;
Atquè animæ foculi semina luce fovet.
Nox cadit: in mollem declinant lumina somnũ,
Custodem flammæ semisopitus ago.
Ore quot exhalo; quot pulmo reciprocat ictus;
Venula tantundem quælibet hiscit: Amo!
Utquè soporatus, quæ subtimet, odit Amator;
Ah! pudet in Domini stertere posse sinu.
 Cum

Cùm verò æra ſono depellunt Morphea pigrum,
Tunc omne officium poſcit amoris opus,
Manè ſalutandi prima eſt mihi cura Magiſtri;
Hìc, ubi ſub Cereris tegmine, regna tenet,
Hìc ſua ter decies tentoria miles adoro,
Nec rudis ad bellum, nec jaculator iners,
Hìc nive tectus Amor latitat candore coruſco;
Quòq; magis tegitur, promicat Ille magis.
Acer in occulto, mea tela repercutit in me:
Si quod adornamus miſſile, turma redit.
Hora citat puram in cælum componere mentẽ,
Thuraque Divino corde litare Throno.
Aurea, melle ſcatens, & amanti dapſilis hora,
Quâ lubet & volupe eſt numine fante frui.
Non vacat in fluxis animum diſtendere larvis;
Cor rapit, Empyreo fomite, forma DEI.
Sonte migrare ſolo videor mihi, corporis expers,
Spirituumq; viam pondus inane ſequi.
Usq; adeò totus feror & ſuccendor in Illum,
Qui mea, magnetis verbere, centra ferit.
Sic Apodes, (*b*) pigræ oderunt contagia terræ,
Solicitæ liquidi ſugere mella poli:
Sic aquilæ tepidi linquunt contagia nidi;
Pupillam in vultu mergere ſolis habent.
Ipſa etiam facies imitata incendia mentis,
Induit æriferâ lampade lucis opes:
Utq;

(b) *Aves Paradiſiacæ ſine pedibus, perpetim ſub cælo degunt.*

Utq; rubet, quam deproperat Vulcania, ferri
Lamina; ſic noſtro proditur ore calor.
Templa ſubinvitant æternæ oracula Mentis,
Quæ cælo genitus mactat odore cruor.
Sacrifici attonitum reddunt ſpectacula ritus,
Sangvine quando aras cerno rubere DEI.
Integer exanimor: quid nõ facis altor Achates?
Ipſe mihi ſe ſe victimat Agnus Amor.
Illi ego, quidquid ego, corpusq; animâq; liturgus
Immolo, vile pecus ſuppliciumquè mei.
At, quoties ſanctus per feſta chariſtia (*c*) Myſtes
Divinam indulget participare dapem;
Tunc animo, nimiæ guſtu dulcedinis, impar,
Exuo terrigenam, Numinibusq; fruor.
Tunc metamorphoſim Cerealia Sacra propinãt:
Alteriusq; typum ſuſcipit alter amans:
Inq; unum vergunt: totum, quo veſcimur, ignẽ,
Occupo, ſumq; meus, nec mihi vivo, cibus.
A ſacris reducem, Suadâ inflammante, libelli
Ardua multa docent, devia multa monent:
Quæq; tenenda via eſt ſtudii cæleſtis alumno,
Quæq; ſit incautis præſtigioſa via.
Mille uſus diſco, quibus eſt prenſanda voluntas
Numinis, utq; ſuus promereatur amor.
Quæ brevè ſopitos induſtria ſuſcitat ignes,
Quàm ſit tetra piger Styx in amore tepor.
Et

(c) *Chariſtia feſta apud Romanos: de his Ovid: l. 2. Faſt:* Proxima cognati dixere Chariſtia chari;
Et venit ad Socios turba propinqua Deos.

Et quibus obſequiis averſi gratia vultus
Redditur, & quibus eſt erudienda fides.
Cuncta noto, cunctasq; artes mihi JEſus amandi
Explicat: inque meo pingitur ipſe libro.
Legibus inſtructus, vocor ad manualia penſa:
Hìc labor eſt, ſummo mente ſtudere Bono.
Verrere compluvium, conferre ſigilla culinæ,
Communemque operam ſuppeditare coco.
Credita perpulchris triclinia comere vaſis,
Omne miniſteri pondus obire manu,
Nõ vicibꝯ, ſed amore placet: placet optio vernæ,
Deliciis Chriſto non inamæna meis.
Nunc fora vicatim mendiculus actor oberro;
Nunc opſonantis ſportula ſtipo latus.
Sic teneros circis bijuges exercet arena:
Sic tiro in vacuo pulvere geſta movet.
Menſa gulam poſcit: dilectio temperat eſcas,
Hæc animæ recreat; corporis illa famem.
Paſcimur: at mentem potat Deus affedo cordis:
Omnis ab hoc uno miſſus amante ſapit.
Circulus alloquiis, functâ eſcâ, ſolvere lingvam
Poſtulat, inquè pias texere verba theſes.
Prima theſim Deitas mũdiq; præoccupat Auctor
Illi enarrando diphtera nulla ſatìs.
Proxima Divini mihi dictio vita Magiſtri,
Vagitusq; genæ, ſuppliciique probra.
Quo

Quo poſſum ſplendore ſuos declamo decores,
Lingvarum attingit copia nulla decus.
Quo poſſum ſqualore ſuos deplango cruores,
Et meus ex oculis ſtrangulat ora cruor.
Et Nati affatus, & Vita hortamine pellax,
Sed cor amabilius lancinat ala Crucis.
Nec minùs ora ciet cruciati Mater Amoris,
Hepatis & lingvæ flammula Virgo meæ.
Quidquid habent Charitũ tellus, cõvexa venuſti,
Congero in illius ſymbola laudis opes.
Sic mihi continuè parili diſpuncta tenore
In Superûm ſtudiis lunaque ſolquè cadit.
Jamq; meret multis tirunculus Idibus Hector,
Et nondum nimio flagrat agone pugil.
Quæcunq; à Domini pharetrâ ſcintillat arundo,
Combibo; majori torqueor inde fame.
Torqueor affectu: nec Te, quo dignus es, æſtu,
Poſſum, nec, quo Te poſſumus, igne volo.
Ure, perure Deus! nulli in me parce ſagittæ:
Totus & unꝰ Amans: unꝰ & omnis Amor.

EPISTO-

EPISTOLA IX.

SANCTUS STANISLAUS KOSTKA Ad Amorem Divinum

Ut nimiis in DEUM facibus affecto suo cordi mederi velit.

ARGUMENTUM.

INsigni dono Divus Stanislaus id consecutus est, ut penitùs in Oceanum Divinitatis immersus, flagrantissimis in DEum studiis perpetim arderet. Advigilabantq; sedulò Moderatores, ne Spiritus immodico caloris impetu abreptus, impare præditum

vi ter-

vi, terrenum habitaculum, immaturè desereret. Certè corpus Ipsius, ex Animi redundantiâ, ita Amoris Divini incendio exæstuare solitum est; ut cordi, ne opprimeretur, ad mitigandum ardorem, imbutos frigidâ panniculos necesse esset apponere: ait Sacchinus. *Talibus ergò suspiriis, pro remedio supplicat Amori Divino, Stanislaus.*

Epistola.

CÆlicolæ Genii, intolerantûm Nuncii Amorũ
Ferte fatiscentis langvida scripta manûs.
Ferte citi, flammæ Domino, pharetræq; Magistro;
Vix quæ sensa potest promere victus amans.
Langveo! nõ animam articuli, nõ ossa secundãt,
Defluit officiis lingva manusque suis!
Spiritus est faculæ similis, corpusquè favillæ;
Istud ab alterius fomite busta trahit.
Causa laborantis sub adusto pectore vitæ
Me latet. O lateat, quem mea tæda perit!
Quin rogo, ne lateat: citò causas promite morbi
Dicite, si morbum dicere mandat? amo.
Fortè suis, tantùmq; suis, mihi proderit herbis,
Nam nisi Iessæo flore levatur amor.

Uror,

URor, ut inducto cerata bitumine stuppa!
,Torre ut Samsonis deflagrat hausta seges!
Uror, ut Æoliis Vulcania follibus antra
In sua convertunt pabula, quidquid alunt.
Trinacriis videor mihi cum torrentibus Ætnam
Perdius & pernox, pectore ferre meo.
Roriferis equidem manat pupilla scatebris,
Crediderint aliqui fonte madere genas.
At mihi, cêu vitreo furno rosa torta liquatur,
Sic meus egeritur chimicus ignis aquis.
Auxilium tostæ properat malè frigida costæ,
Est refrigerium pontus inane meum.
Nequicquam appliciti placant incendia fontes,
Sicanis ardet Nereus ipse jugis.
Non bene mentitur numen fabella vetustas,
Cûi mala Nympha Venus creditur orta freto
Fabula sit;tamen est quædã illecebrosa voluptas,
Quam nulla effocant æquora, nulla Thetis.
Scilicet, Oceanus DEUS est, largitor amoris,
Omnis amabilitas hoc meat alta mari.
Dum jacit in tenerũ decumana volumina pecto
Quid facit ad tantam fictilis urna pyram?
Nemo meis poterit lenimina ferre caminis,
Arte Machaoniæ frigida facta scholæ.
Ille potest, qui nostra urit penetralia Phæbus,
Qui facit ad vulnus; ferre medentis opem.
Hunc

Bibl. Jag.

Hunc ego demorior. Quid agis Dulcissime rerũ?
Ecce tuam faciem qui perit, usquè perit.
Utribus exiguis exerces prælia Classe,
Ut capiat pelagus testula fracta, studes:
Non benè debilibus committitur occa juvencis;
Non suffecturo pondera deme jugo. (pto?
Ah timidè querimur! trepido impetrare, quod o-
Quodq; rogo, nolim, quod magè nolo, velim.
Deme faces? pereo; quid agis vecordia voti?
Parce Amor! arbitriis non sapit omnis amans!
Ah pereã potiùs, quàm me tormenta relinquant!
Dulcè tyrannus amor! tragula dulcè Deus!
O bene! Divinum toti vertamur in ignem!
Ut citò vertatur Spiritus; adde faces!
Ardere! ardere! & flagranti in amore perire!
Ut pia dispereunt thura litata rogis.

EPISTO-

EPISTOLA X.

Ad S. LAURENTIUM Martyrem.

In quâ

Divus Stanislaus Kostka, Cælestis Beatitudinis desiderium explicat: & Divum Martyrem, ut velit suus esse ad Deiparam Virginem Internuncius, rogat.

ARGUMENTUM.

Calendis Augusti, in sortitione Patronorum, Societati nostræ usitatâ, Laurentius Martyr, Stanislao Patronus obvenerat. Ejus diem sacrum, quàm celeberrimum sibi ducens, post

post obita ritè Divina, omne matutinum tempus, coquo administer exegit. Subinde interrogatus, quid inter labores mente agitâsset? respondit: ex culinæ igne, sibi succurrisse illum, quo Laurentius tostus fuerat.

Pôst paulò, eâdem die, febri corripitur: affirmatq; se Sanctissimamq; Cæli Reginam, per S. Laurentium, exorâsse, ut se, ipso Assumptionis suæ die, velit terris evocare. Hæc Sacchinus. *Creditum est, Eum, Interventori Laurentio, supplices, ad Augustam Cælorum Imperatricem, literas commendâsse, in quibus beatæ Patriæ desiderium impensè incitatèq; exaggeravit.* Supplicem libellum, per Sanctum Laurentium, Beatissimæ Virgini porrexit; quo impetravit, ut ipso Assumptionis B. V. die, accerseretur in cælum. *Verba adfero Patris Joannis Nadasi, ex libro* dierum memorabilium. *Atq; hoc erat Stanislao, Divum Laurentium compellandi argumentum.*

Epiſtola.

CUm ſubit illius ſpecioſæ noctis imago,
Quæ Tibi, Laurenti, Nominis arra fuit:
Cùm rapis igne polum: mutas carbone pyropos
Perpetuoſquè Tibi nox tulit una dies:
Penè mihi Siculis flammeſcunt exta caminis;
Penè Tuam cratem ſcandere, martyr, amo.

O Dulces teſtus! dulces Buſiridis (a) aræ!
Quosq; boves Phalaris, quosq; Perille (b) ſtruis
Vos breve tormentum nimio cumulatis honore
Aurea vos facitis vertice regna capi.
Et ſemiambuſtam diademate creſcere frontem,
Semicremosq; artus, ſolis obire vices.
Sic Tibi, Laurenti, crateſquè unciquè rogales
Lucis inextinctum contribuêre jubar.
Vincis, & edomitis, ſartagine frixa, tyrannis,
Membra, immortalis laurus & Iris obit.
Luciferum ſpecie ſuperas Phäëtonta: tuuſque
Inter prima facem ſidera torris habet.
Parce ſed; invideo! cælique cupidine feſſus,
Tabeo! cor tacito carpitur igne meum.
Me, tua qui torſit vitalia, corripit ardor,
Tu furni; mentis torre peruror ego.
Sed

(a) *Buſiris Tyrannus, qui omnes hoſpites Jovi immolabat.*
(b) *Perillus faber ingenioſus, Phalaridi Tyranno, taurum ex ære fabricavit, mugitus bovis pollicitus, igne ſubiecto. Juſſu Tyranni, eidem tauro incluſus, ſuppoſitis ignibus excruciatus eſt.* docuitq́ ſuum mugire juvencum. *Ovidius*

Sed quantùm interior ſartago, tyrannide præſtat
Tantùm exul graviùs diſcruciatur amôr.

O Superi Cives! O Urbs locupletis Olympi!
O picturati penſilis Hybla poli.
O Patria hærentûm regio dotalis Amorum!
O individui Curia plena DEI!
Quando ego te, certante ſinu, gaudebo potiri?
Et totâ in ſpolio mente perire meo?
Quando erit illa febris? quâ carnificante, ſoluto
Corpore, lætitiâ ſolvar ab ipſe meâ.
Te celeres, Martyr, cælo excepêre triumphi;
Victoremquè hauſit divitis aula throni;
Tædia me plùs angve vorant: menſesq; diesq;
In deſideriis, ſuppliciiſquè tero.
Tertia lux Idus venient, quintamq; repectet,
Et niveis feſtus Cynthius uret equis,
Lecta dies, formoſa dies! quâ, pollice Nati
Virginea accipiet frons diadema, DEI.
Dextera ſuſtollet Matrem pars; altera Prolem:
Aurea ſceptra ferent Affedo uterq; ſuum.
Regia Cælituum, proſtrato crine, coronas,
Vectigale decus, conferet ante thronum.
Angelici, bibulas, melicis concentibus, aures,
Alternis, ferient caſtra novena Chori.

Regi-

Reginámquè canent: Reginæ lata poteſtas
Aſtra ſuper, ſuper & lurida regna tonat.
Quis verò addiſcet, niſi qui guſtabit ocellis,
Quantùm erit auguſtæ forma coruſca genæ?
Turpe jubar Phæbi, turpis Latonia nocti:
Turpè halant Pæſti lilia, turpè roſæ:
Turpis luteolo Taumantis pingitur arcu:
Turpis in Aurora diradiante pudor.
Orbis opum Cæliq; lepos ſordeſcit & horret,
Cæli Auguſta novum dum ferit ore diem.
O mihi ſi! ſed vota cadunt, ſpe laſſa metuquè,
Audaciquè jubent cedere, cedo, ſtrophâ.
Mancipii liceat ritu præire jugales,
Sive triumphanti ſubdere colla rotæ.
Me ſuperis, Matriq; reum, vos Aſtra citate!
Dicta dies! Veſtri eſt cauſula noſtra fori.
Porrige ſummiſſum Martyr Patrone Libellum,
Strenuus & cauſam ſupplicis Actor age.
Multa gravant querulam ſuſpiria, multa tabellã
Et multum à lacrymis pagina pondus habet.
Adde Tuũ; Dominamq; madens ut litera flectat,
Tædia percenſe, deliquiumquè mei.
Jamq; febrim tabemq; creant, & fortè necabũt,
Inviſumq; caput, tædia in aſtra ferent.
Vel puer, Imperium Matris, vel Martyr Amoris,
Corpore (noluerit?) tabe liquente, ſequar.

EPISTO-

Ex Libris Romualdi [illegible]

EPISTOLA XI.

Ad Mariã Virginẽ Deiparã in Cælos Aſſumptam.

Stanislaus Koſtka.

ARGUMENTUM.

QUàm tenerrimo pietatis ſenſu, erga Pretioſiſſimam DEI Parentem, afficiebatur Stanislaus; edocet Vita, quæ tota erat continua quædam Benevolentiſſimæ

 Matris

Matris captatio: certamenq; Mariæ Gratiarum, cum obsequiis; beneficiorum, cum studio merendi. Teneris ab unguiculis, Illi effusè deditus, animum prorsus Filii erga Eam induerat: Ejus pios libellos, corollas rosarias, perpetuò versans; in exercitiis Scholasticis, Ipsius encomia sibi tractanda assumebat: & quidquid aggrediebatur, ab Ea benedictionem emendicabat. In illâ difficillimâ Romam Viennâ peregrinatione, ubicunq; Imaginem Deiparæ advertisset; plurima salutatione percoluit. In tyrocinio verò, frequentissimus illi erat sermo de Virgine Sanctissima, Quam Matrem suam appellabat: nova semper & magnificentissima, quibus Eam extolleret, nomina excogitabat; & gradus, in quibus majestatem Ejus collocaret, altissimos. Cùm preces honori DEIparæ funderet; quasi coràm sibi præsenti, loqui putabatur: emicabatq; tunc, in ejus vultu, extraordi-

naria quædam venustas & gratia; adeò, ut ab Ipsa Virgine, indita videretur: ait Sacchinus. *Vicissim, à Clementissima Cæli Reginâ, maximis sanè favoribus cumulatus est. Hanc, cum Puero JESU, valetudinis suæ, à medicis conclamatæ, restitutricem mirificam; ut Societati JESU se traderet, hortatricem; in fuga Viennensi Ducem, Sospitam, & præsidium unicum adeptus; speravit nihil sibi negaturam: eòq; fiduciæ venit, ut ab Ea votis omnibus, ac Supplici libello impetrare contenderit; quatenus ipso die Virginis Assumptæ moriens, cælos peteret, particeps triumphi Mariani. Nec distulit filioli postulationem Maria; sed, condicto die & horâ (quâ Salvator noster, ad Gloriosissimam Matrem suam olim excipiendam, cum Angelis creditur è cælo descendisse) post noctem, mediâ tertiâ, mense ab inita Societate decimo, Stanislaum, amoris magìs, quàm*

febriculæ æstibus elangventem, serenissimi aspectûs sui copiâ delibutum, in sui amplexum, è vivis evocavit. Literis supplicationem mandâsse, easq́ per Sm. Laurentium Martyrem direxisse, accepisseq́ Kostkam responsum: ratam fore postulatoris optionem, Petrus Ribadeneira, aliiq́, quod fama pervulgaverat, commemorarûnt. Alii, rem non liquidò compertam, in medio relinquunt. Cæterùm, animi duntaxat eloquio, an etiam codicillis, Matrem Beatissimam expugnaverit Kostka? nihil interest. Perinde enim Cor Ejus, desideriorum erat libellus, quem in Elegos fusum, Lector accipe.

Episto-

Epistola.

CUrre per æthereos, cisio, Liber, alite campos
  Usquè sub Empyrei fulgida templa tholi.
Arx tibi nota poli est: nam tu Cillenius (*)alter
  Doctus es astriferas ire redire vias.
Sæpè meos gemitus, Dominæ stellantis ad aurem
  Pervehis, & verbum sæpè salutis, Ave.
Nec longinqua time: tribuet tibi fulminis alas,
  Inq; Adyto sistet, dux Amor atquè comes.
Monstra super gradiêre; tuo tamen adstite tutus
  Exerit in summos jus Amor usquè Deos.
Ut Matrem Augustam non incomitatus adores;
  Laurigeri lateri Martyris adde latus.
Fortunæ ut referas vultus miserabile nostræ;
  Personam vincti convenienter age.
Si properè exsolvet te Virgo ligamine, dices:
  Sic vinclis puerum solve Beata Tuum.
Audiet, & vultu, pro Majestate, sereno,
  Supplicibus prologis perbona signa dabit.
Si sensu perplexa dedi, truncataquè verba?
  (Nam mihi muta ferè est anxietate phrasis)
Excusator ades: magni est stylus (aje) doloris:
  Illius Interpres Kostka vocetur, erit.
Indue

(*) *Mercurius Deorum nuntius, Jovis filius, à Cillene loco; ubi natus est, dictus Cillenius.*

Indue mittentis faciem, nutuquè perora,
Vulnus & affectus litera finge meos!
Quidquid aget pro me, Laurentius, affère vultu:
Exodium tristi persequar ipse chely.

(mellæ,
HEu! quis corporeæ rumpet mihi vincla nu-
Cælum ut parte mei nobiliore petam.
Quis dabit, ut, quò se penetrāt, mea funda, libelli,
Funditor amenti sim lapis ipse mei:
Per qualesquè vias suspiria nostra feruntur,
Consimili tractu spiritus auctor eat.
Quid me terra ligas? Cælum possedit amores:
Jam nisi dimidiâ parte superstes ago.
O vos, libera Gens, seculam depromite Divi!
Scindite nostratis tenuia fila moræ.
Una velit, fiet: mihi me reddetquè Maria;
Terrigenam bustis, indigenamquè polis.
Hæc mea Parca, meæ dispensat stamina lucis:
Illâ est una mihi vita, jubente, mori.
Contiguas sequitur Titan ubi tertius Idus;
Purpureum retegent non sua lora diem:
Sed Genitrix splendente DEI subvecta curuli
Astra super, magni luminis arva feret.
Pexam Aurora uret, bissenaquè sidera frontem:
Succinget geminos cernua Luna pedes:
Gem-

Gemmosâ referet, vincet quoq; cyclade solem,
Vincent flammeolam sed magìs Ora togam.
Nō hanc quadrupedes: Æthon, Pyroisq; Phlegōq;
Non vehet Eois esseda sparsa jubis;
Sed succollantûm cuneatim juncta Thronorum
Agmina, pennipotens tollet in alta manus:
Et totidem Soles, quot erunt famulantia castra;
Et totidem Reges, quot seges illa capit.
Tunc ego, vel Dominæ famulus puer, ire citabor;
Vel desideriis rumpar ab ipse meis.

O Dilecta piis, Gemma omnipotentis Olympi!
O Dominatoris bajula Virgo DEI!
O jubar! O Mater! pertæsis cordibus esca!
Dulciùs O si quid Matre vocare velim!
Ergò tripartiti capies diademata regni?
Kostka exsors tanti pars ero nulla boni?
Et poteris sine me, cæli convexa tenere?
Et poteris pueri non meminisse tui?
Nondum expers lactis, didici Te nôsse: Tuiq;
Pectora nectareus nostra momordit amor.
Os balbum Mariam recitat: raptisquè tabellis,
Pusiolus labeo svavia fixa tenet.
Grandiculus totum Tibi me, Tibi vota litabam
Laudibus assiduus, supplicibusquè metris.
Palladis in stadio, Marianum Rhetora gessi:
Carmi-

Carminibus dulcis Tu mihi Muſa cani.
Limam impexa tulit, ſi non Te Chria colebai:
Virginis eloquiis ingenioſus eram.
Cùm verò illa mihi Te nox ſuprema, ruentis
Lethi averruncam, conſpicuamquè dedit;
Exin in aſpectus, ad noſtra incendia natos
Arſimus, eſtquè animo perpes imago tui.
Conſilium, sêu nutus erat, Divina jubentis
Caſtra ſequi? exhauſi: militiamquè tuli.
Si bene paruimus, ſi non temeravimus arma:
Arbitra tyroni regia trade rudem.
Juſſiſti totum poſt terga relinquere mundum:
Fecimus, & poſt me terra relicta jacet.
Quid reſtat, niſi ſtelligeros tentare triones?
Et poſt Te famulum præcipitare gradum.
Te Duce, præcelſis ſtetimus, procul æquore victo
Portubus, unde brevis ducit in aſtra via:
Mater! porge manũ! pennas ego nactus amoris
Dædala per Zephyros velificabor avis.
Sic Jovis armigerã volucrem, per fulminis oras
Stirps non degeneri tentat adire viâ:
Sic eluctantem ſub inania ſolis Alaudam
Nititur imbellis pipio ponè ſequi.
Sic rapit exiguum ſpatioſa Liburnica lembum:
Sic levis admordet claſſica vela dromon.
O mea Lux! lux una meæ Cynoſura Salutis!
Lactea ſidereæ ſemita facta plagæ. Sa-

Sacra dies Cidari capiendæ, ergaſtula ſolvat,
Libera ſim plantæ præda corona Tuæ?
Sit tibi, ſit Regnum: ſine me tua gloria manca;
Koſtka deeſt, regni portio parva tui.
Nam mihi ſervitii; Tibi Heræ ſunt jura potentis
Orba ſuo Princeps mancipe, mancus Honor.
Nil ego non per te, ſine te nil poſſe volebam,
Redde vices, ut non me ſine ſceptra petas.
Sunt Procerûm Grandes proceraq; nomina cælo
Sed fortè illa domus pumilionis eget.
Aulis deliciæ ſunt ſi pumilla propago;
Me ſatìs infantem, tam bona ſparta decet.
Ut per te incaluit vitali ſpiritus aurâ,
Lacte Quirinali me vegetante domo;
Delituit noviès, novies jam luna recrevit;
Dena recens urget corniculata rotam:
Maturus natu puer eſt; naſcatur Olympò,
Sit tuus ex utero, ſitquè perennè tuus.
Ni facis? emoriar! ſatìs eſt: occide negando,
Corpore depoſito, promptus in alta ferar.
Sed quis in alta ſalit, niſi te Regina jubente?
Quis cælum, invita virgine, fortè rapit?
Si mihi Flaminiam ſternat polus, eſſeda Phæbus;
Nolim. Hoc, adversâ Te, eſt Phàëtontis iter.
Si contrà, ignivomos Acheron opponat hiatus;
Hoc ſuperabo chaos; dic niſi: Koſtka veni.
Te,

Te, per quidquid ego, quidquid ſuſpiria vincũt,
Obſecro, ſuppliciis omen adeſto meis,
Flecte manum, ſubſcribe nimis perimentia vota
Neve nimis perimant, vim patiare precum.
Si placet,ut vivam: nec enim mihi vivere dici eſt
Si quod diſcupio, depereoquè, fugit.
Vixero, ſi cupidum correpta incendia tollent
Morte genethliacâ, deſtituarquè mori.
Si Tibi diſpliceat nos anxietatibus uri,
Triſtitiâ peream ut ne, ſed amore cadam.
Fac, ut percipiam manifeſtis nuncia ſignis,
Scribere non auſim frivolus, Ipſa veni.
Abnuis? in jugulum ſtrictæ venere bipennes,
Tranſadigunt lacerum tela triſulca jecur.
Annuis? Ergo jube me vincla jubere valere
Protinus, & Salve dicere Virgo Tibi.

Ecce venit, quid cera tulit? lego. Somnia fingo!
Non eris. O! perii! *Non eris exul*. Amo!

Pòéſis Heroica.

Ex Libris Conradi [illegible]

CARMEN EPITHALAMIUM

ARGUMENTUM.

Serenissimus Imperii Moschoviæ Monarcha (vocabant Czarum, seu Regem, postea Imperator appellatus est) Petrus Alexiewicz, Serenissimæ Poloniæ Reipublicæ fæderatus, in Anno 1709. *profligato, internecina clade, ad Pultavam, in Ukraina, Carolo XII. Rege Sveciæ, castris exuto, & ad fugam in Turcicas ditiones compulso; victorem exercitum duxit in Moldaviam. Ubi, ad fluvium Prutum, objectis Turcarum copiis congressus, vitato*

 prælio,

prælio, &, post velitationes, hoste ad paciscendum inclinato; datis ultrò citroq; conditionibus, inducias pactus; bellum in Pomeraniam Sveticam transtulit: Stetinum & Stralzond, obsidione diuturna compressit, & cepit. Interea, filio suo unico, Alexio Petrowicz, de tori consorte eligenda, consilium init. Ducum, de Brunswik, Luneburgensium, major natu filia Elisabetha, Sacri Romani Imperii Cæsari Augusto, Carolo VI. jam nupserat; Ejus Sororem Charlottam Christinam, Alexio pactus, despondit. Peractis Torgæ in Saxonia, nuptiarum festis; brevì Torunium Neosponsi Hospites adiere: Salutati à Collegio Societatis JESU, 6tâ Decembris 1711. Cultu Panægirico, cui, ob novam hanc Græciæ, cum Romanis conjunctionẽ, Titulus, ex re, datus est: Orbis geminus, conjugio fœderatus.

AD

Ad Serenissimos Principes Neo-Sponsos, ALEXIUM PETROWICZ *Imperii Russiæ Heredem* & CHARLOTTAM CHRISTINAM SOPHIAM, *Ducem Brunsvicensem ac Luneburgensem,*

NUNCUPATIO.

VEstra Sponsorum Serta, *Principes Serenissimi*, Coronam Orbis ducunt; Augustissimæ connubii Vestri tedæ, non unius populi, sed regnorum plurium serenum excitant, dispergunt radios, accendunt vota, acclamationes & tripudia provocant. Ut, quidquid cæli, sub ulti-

 mo

mo Septemtrione conditur; ad Caspium littus diffunditur; ad Tanaim, Borysthenē, Danubium, in Orientem prospicit; ad Chinarum cedit repagula; ad Rhenum & Austrum in meridiem provehitur; ad Tagum & ultra in Occidentem procurrit; totum id Vestri Vinculi Sacramento se adjiciat, Vestræ cytharæ cōcentu, gyretur in choros, in lætitiam saliat, in communem hilaritatis versum erumpat. Totum enim, quem dixi, Orbem, Invictissimus Monarcha *Petrus Alexiewicz* Vester Parens, aut viribus fæderatis, aut laureatâ gloriâ; totum, Vester, quem votivo nexu attigistis, sangvis, in exultationem collegit. Tua ditio, *Princeps Serenissime*, adeò in immensum se extulit: ut quendam inexploratarum gentiū, æquorum, siderum Orbem componat. Efflorescis ad illud Sceptrum, quo Euxinum, Persicum, Finnonicum, Glaciale Pelagus, tanquam Neptunus Tridente moderaberis:

jura

jura impones tempestatibus, malaciam Soliis. Serenissimæ verò Consortis *Charlottæ* Purpura, implevit vos ea magnitudine, ut Orbem in patrimonii censu computetis. Nimirum Austriacæ Domui Te affinem reddidisti; quinam autem remotissimi Soles, quæ regna Austriaco Diademate nō refulserunt? Quòd si Orientem respicis? grande illud Constantini Porphyrogeniti Imperium, primò in Gvelfis Ducibus; deinde, per hos, in Brunsvicia Gente, diu consedit. Tanta præstolatione Te unum spectabat, in quo tandem assurgeret. Ita, cùm universas Orbis Christiani nationes in vinculum sangvinis attraxisti; major adhuc orbis, admiratione Tuarum virtutum pertrahitur, colligitq; ex Alexii Genio, spem tantam, quæ ipsius etiam livoris oculos, oblectatione deliniret. Quæ enim illa in viridi Principe, Religionis maturitas? in primo flore, Sanctitas? Nullam diem tam

 profa-

profanam Sol aspexit, quam Tu, tenerrimo in Deum concentu, supplicibus in Cælum votis, devotissimo sacræ victimæ spectaculo, non consecrâsti. Prolixo Numinis affatu delibutum, invitant libri, volumina occupant. Hìc annalium memoriam consulis, bellorum evolvis commentarios, Ducum stratagemata exquiris. Quid exquirere dico? exhausisti. Tanta enim scientiarum polles aviditate; ut Te nulla ætatum eruditio fugiat; nulla reconditior fallat sapientia. Exinde militares ludos aggrederis, instructissimæq; pugnæ imaginem, docendo, exhibes. Conscripsisti, adversùs Turcam, Invicto Patri, legiones: quot viros? tot Martis statuas. Cum immortalibus se confligere hostis credidit; proclamavit certè inexpugnabiles. Tu illis hanc gloriam impressisti, quibus prima vincendi rudimenta, contrahendi explicandiq; cunei, vibrandi telum, feriendi barbarum, leges

ges instillâsti. Sed militarem tuam dexteritatem, bellicæ Matheseos prodigia, lingvarum, ad concinnos eloquentiæ modos, peritiam, cæterasq; Heroum dotes, Princi-pe, ad terrarum nato moderamina, dignissimas, succincta delibatione vix attingere fas est, nedum extollere: grandi intervallo fastigium efferunt Tuæ, *Princeps*, locupletissimæ præstantiæ: temnit reptantes ingeniorum conatus, vicinior cælis gloria: quantùm cunctis explicare se facilis; tantùm lingvâ vel calamo difficilis comprehendi. Si annuis, & umbratili isti folio, pretium favore comparas; majora conabimur: consurget gestorum Tuorum regalis codex, quem infinita posteritas ubi legerit; in contemplatione tuarum virtutum consenescet. Jbitis per regna victoriis; per regnorum ora & animos, nostris encomiis. Interim Orbem hunc, quem in Serenissimi tori fædere, *Principes*, devinxistis, Pòëti-

Pòëticis metri vinculis colligatum, illâ manu accipite, quâ ſolertioribus ſtudiis, æſtimationem; incultæ Eloquentium cogitationi pondus imprimitis, ingenium adjicitis.

CARMEN.

POnite ſpes humiles, ignavos ponite vultus,
Deſperantûm Animæ populorum: & Regna furentûm
Naufraga ſtrage Ducum! Roſſi diffuſa Gradivi
Nil humile ignavumq; jubent ſperare trophæa.
FertAmor armorum prædas;& faucius, arctis
Vallatur gladiis, ut lenè coaæreat Orbis.
Claſſica Connubiis, fauſtoq; Thalaſſio Marti
Colludit: tales choreas ut Veſper, & Ortus
Innodatus amet: longùmq; frementibus armis
Quaſſatæ gentes, vinctoq; ſolidentur amore.

HOc agit armipotens, pacato Numine, Petrus,
Conjugio feſtis hoc jurat Alexius Aris:
Copulat Imperiis Faſces, Diademata Sceptris,
Ne cælum turpi Scythiæ, ne ſerviat Afro.
Grata-

Gratare auſpiciis Tellus! jam fædus, uterq;
Mundus amat: dextrâ Heſperiæ porrexit Orion,
Et conſangvineo non diſſociabilis ictu
Auſoniis conſors Aquilis, Septemtrio nubit:
Ut, quas longa retro ſecuit Diſcordia Gentes,
Quas rigidus lævo disjecit acinace Mavors,
Felici còëant Serto: jungatq; diremptos
Unanimis pietas Soles: & Græcia dextris
Dextra ſit Auſoniis, quas vis unita maritat.

O Quanto Superûm plauſu lux iſta cucurrit!
Cū Te, Roſſiadū Princeps, ſtirps vincere nata
Spes Aſiæ, Votum Europæ! (quem neſcius augur
Omine fraudari Livor, componere Magno
Non dubitat Petro) mundiq; binominis Heres,
Cùm Te pacifico vincens Alemannia nodo,
Traxit ad Idalias, Sacra connubialia, tædas:
Cæſareosq; Thronos, junxit Torus: Auſtria Roſſis
Sceptra parit; parit Auſtriacis diademata Roſſus,
Ut, ſive evigilet, ſeu littore ſterterit Indo;
Cæſaribus Generis, famulum Sol debeat axem.

TUnc Aquilis Aquilæ, placáta per oſcula, dulci
Hæſere obtutu: roſtriq; biverticis Ales
Miratur cepiſſe parem: frontemq; biformi
Cōponit Volucri; & pare mūdum porrigit ungve
Dici-

Dicite Pægasides, nam vos pellacior ussit,
Fama, ter Augustos Hymenæi nôsse triũphos
Quàm læto augurio, quantis clangoribus, Ales
Moscbica, Teutonicã, socios stimulavit in ignes?
Quis per utrũq; polũ, quis regna per invia fulgor
Erupit? quantis arriserit ignibus æther
Pronubus? æternâ dum se compagine stringunt
Hinc Mũdi Dom9, hinc Mũdũ domitura Potestas.

Credim9 Autũnũ baccatis fulgere (*) Nimbis
Et nubes tumuisse rosis, gemmisq; pruinas,
Oceanum turgere favis, querceta Corallis:
Lacte Ister, Volga ambrosiis, Albisquè Lyæo
Murmurat, & calidis Mareotica Vina procellis
Passim per populos, per inhospita littora Nerêi
Exspumant; rubuitq; hilari dulcedine Balthis.
Hæc diadematis fas est miracula Sponsis
Currere, quorum Altus plùs quàm regalia sanxit
Vincla Tonans, scissi ut quassata repagula Cæli
Vinciat; ut Lechicæ còéant vaga busta ruinæ;
Ortus ut Occasum, occasus sibi nectat ut ortum
Ut lapsura, manu còálescat Terra jugali,
Uniusquè Domûs cadat in patrimonia, quisquis
Difformes inter populos discerpitur orbis.
Nunc referã, si docte Chelym modereris Alexi
Quis Deus in Tædas glacialem compulit Arcton?
Post-

(*) *Paribus quos fulgere cernis in armis.* Æneid: l. 6.

Postquam Romulei Majestas deflua Sceptri
Funeribus Josephe, Tuis, in flore Juventæ
Concidit: Imperiumq; brevi contabuit Urna:
Et Dominus Mundi, factus ciuis, hausit in unum
Regnorum fragmenta, Rogum; pullata dolore
Relligio exesas vocat in præcordia curas.
Mordebat jactura Deam: quis dignior heres
Fascibus incumbat viduis? quo fessa lacerto
Grandiùs inclinati exsurgat Sarcina Mundi?
Volventẽ hæc, docuere Poli: bipatẽte pyropo
Regia Cælituum, nitidas pro Cæsare voces
Explicuit: Carolum certatim sidera scribunt:
Austriacæ cum Sole micant, cum fulmine Ceræ.
Sed nondum sedere metus. Jam cardine, dixit,
Secura Occiduo, pars magna resurgit Olympi;
Suprema de parte queror: quis Limen Eoum
Quis desperatos Domitor mihi porriget Ortus?
Ut placido complexa sinu, Mundumq; Polumq;
Aspiciam geminos tantùm mihi currere Soles.
Solicitam, claris facibus circumstetit ipse
Jupiter, arcani referans penetralia fati:
Evolvitq; Petrum, qualis mucrone cruento
Effert bellipotens tumidos se Czarus in hostes!
Ut Lunam infringit scopulis! ut grandibus Ultor
Insultat jugulis! ut propugnacula centum
Per totidem momenta rapit! Lechiæq; labori
Implo-

Imploratus adest: ut cum stridentibus Euris,
Cum pluvio Jove, cũ pelago, cum tristib9 Astris
Congreditur, promptus gladiis elemẽta domare
Pugnantem sors nulla quatit! successibus instat,
Utitur adversis: fortunæ munera blandæ
Aversatur ovans: major post aspera surgit.
Ardet aquis, manditq; famem: sed bile famẽte
Asperior, fortes animus consurgit in iras,
Jejunisq; Aquilis, nullum non devorat hostẽ. (a)
Hæc ubi conspicuo cæli porrecta theatro
Viderat alma Fides; recreatam, ponè Quirini
Erudit Imperii Genius. Quod proxima cernis,
Hoc fortuna Tui Voti grandescit ab ore.
Petrus Alexiewicz, Othomannæ cladis origo,
Nudavit gladium: cujus percussa fragore
Pallida Bosphoricæ nutarũnt Culmina Portæ;
Caucasus attremuit, tumuit singultibus Hebrus,
Turcia supplicium vitavit supplice dextrâ.
Hac facie innumeri populis risere triumphi:
Juratiquè tonant: Vincat licèt Ille trecentis
Millibus horribilis; sed magna potentia solus,
Solus Martis amor; sternit, quem viderit hostem
Illum pallet Arabs; formidine Memphys adorat:
Medus amat: prudens metuendum China salutat
Austria solicitat: laudat post prælia Gothus:
Se sociis Armis fulcit clypeatquè Polonus.
At,

(a) *Jejunia Rossis sacrosancta.*

At, quod sexcentis majus putat Ille trophæis,
Grãdior est Victore, Parens: cũi celsa propinquat
Indomito Patri non concessura Propago:
Quæ dominatricem freta trans Mæotica dextram
Efferet, & nigrum sulcabit acinace pontum:
Quosq; Petrus prensat, frenabit Alexius Orbes.
Sed jam perpetui læta in consortia sceptri
Quære parem Juveni Sociam, quæ Bactra Vienæ
Danubium Tanai, per casta monilia nectat.
Brunsvicias adverte Nur9: quarũ Illa tremẽdo
Augustæ titulis, vultu, per solis utrumquè
Provehitur limen; dominæq; ad basia plantæ
Et Tagus, & Ganges, thalami pro dote pependit:
Hujus in Imperio, roseus non occidit Æthon:
Scilicet, Austriacos mundo paritura Nepotes,
Cæsarib9 numerat tot Sceptra, quot aspicit æther.
Alterius faciem, Livor quoq; diceret Astrum
Tam benè Virgineum tinxit lux tersa nitorem,
Illius in frontem, quoties rude jeceris aurum,
Vitta fit, & subito crescit diademate crinis.
Mille sedent vultu Charites: nexusquè corallis
Unio, Charlottæ vinci se gaudet ab ore.
Hanc Rossus captivet Amor, flamisq; pudicis
Attrahat immensæ Dictator Alexius Arctis:
Lux olim Argolidũ: fusi Nox Dardana Thracis.
Sit Frater Carolo, sit par moderantibus Orbem;
Inse-

Inferat Austriacis Patris miracula Ceris;
Una Domus coëat, Gentes quæ sustinet una:
Sint, quibus alterno famuletur poplite Titan,
Et, quâcunq; ruet, currat per stemata Fratrûm:
Præreptiquè vetent sentiri damna Josephi,
Amissum referant: meruit manus ardua Petri
Ut Patrem Imperii dicas: dignusquè Petrides
Quem cum Cæsaribus faciat fortuna Maritum.
Tunc pallebit Eos: tunc se tibi Romule sistet
Devexus, nascensq; dies: totum afferet Orbem
Cæsare cum genero, Czarus gener. Astrifer Atlas
Amplexũ geminæ non rumpet in ultima dextræ.
Finiit. Augurio reserabilis assonat æther.

TUm verò impatiens venturæ arcessere sortis
Gaudia Relligio, nivei trans plaustra Bootis
Fulmineum prævertit iter: tum linquit habenas
Hìc, ubi pulvereæ victrix Pultavia fumat
Tempestate necis, torviq; à morte Leones
Sangvine Vandalico pudefacta novalia mordẽt.
Hìc vindex Czarus, retroacti tergore Gothi
Perfruitur: circùm rigido fremit horrida tellus
Agmine, quorum iras mors est spectare Sueco,
Inde Ducum series, quorum formosa severis
Ardet imaginibus, facies prænuncia lethi:
Eminet his *Szeremet, Szeremet* metuẽda voluptas
Hosti,

Hostibus, armatæ celebris jactantia famæ:
Mille virent Lauri galeâ, nimboq; venustam
Canitiem superant jam plura trophæa capillis.
(*a*) Ponè subit *Dołhoruk*, O! lõga in prælia dextra!
Per mille effugiet non illam *Thracia* leucas.
Principe *Galliczyn*, *Menżykow* principe ferro
Se Mars ipse probat, quorum volitantibus hastis
Caucasus occurrat, Taurusq; & Carpatus obstet;
Dejicitur: stragem ignipotens non differet ictus:
Nil sed amabilius famæ admirantis in ora
Prorupit, quàm verba Czari. Non ille tumori
Fortunæquè litat; nec tradit frena secundis
Alitibus: nusquam temerant convicia Laurum:
Prosperitate humilis, similisq; modestia victo;
Ceu propriã stragẽ, lacrymis miseratur, & inquit
Vicistis Superi! nec enim mortalibus hostis
Cederet usq; ferox, sine Numine fulminis, armis
Non mihi victus abis! cælestia tela Superbos
Effigunt cuneos, Mundi miserata ruinam.
Carole siste fugam, pia dextrã in fœdera junge
Non mihi post aciem furor est: majora reponam
Quàm sperare velis, vel nostra clade pacisci:
Tantùm Trejicio Regem ne trade Tyranno;
Qui fastu attonitus, cælo se turgidus æquat,
Fortunamq; suam metitur supplice Gotho.
Me prohibẽte peris! mersamq; in sãgvine Gentẽ

(*a*) *Dołhoruki, ex Sclavonico, Longimanus.*

Contentus dare terga, fugæ mercede relinquis!
Heu fuge! majores pænas, quàm morte, daturus!

HÆc ille. At cupidæ pia Relligionis in Aure
Carmina ſederunt: Czari pro pace labores
Dum miratur, amat: dum contemplatur, adorat,
Collaudatq; Ducem: Dignas o! Cæſare Voces!
Accipe Fama Virum, quem nō vidêre ſuperbum
Theſſaliæ, & Cannis nomen raptura trophæa!
Poſt cæſum Boream, paci litat? Ite triumphi,
Supremas Babylonis, ait, decurrite gentes!
Quidquid in Aſſyrios Cæli protenditur Ortus,
Quot Regna Eurotas, dives quot lābit Hydaſpes
Auroræ Petrum populi, & cunabula Phæbi
Poplite ſuſcipiant; dum me per inhoſpita ducat
Littora, dum Fidei Naſamon, Maſſylus, & Ida
Militet, extorreſquè ferant pia thura Sabæi.
Quid ceſſas Alemanne meus? mercare potētem
Auxiliaturo Germanis fœdere dextram:
Sit Socer & Socius pugnandæ Teuto Coronæ:
Junge toros, junctúre thronum: non irrita cælo
Spes viget, Auſtriacas Byzantum inferre Secures,
Dum ſibi Volga Iſtrū, Tanaim dū copulat Albis.
Tu verò Ottomanûm fulmen, ſoliiq; Pelaſgi
Romule! quem Euxinas atrocem exſcindere Por-(tas
Inſomnis Dolopûm clamat pavor: icta pavore

Æquora, Lunigeris omen fatale Maniplîs
Opprobrāt, Dominūq; ſibi comurmurat Hebrus,
Ne remorare preces: placidus conquirat Alexis
Germanam, per vota, Nurum: circūſpice claros
Brunſviciæ Gentis titulos: quas ille per Oras
Non regnat Sangvis? quæ nō diademata tangit?
Tot Soliis, quot fama tulit, ſua Stemata fulgent:
Doricus hic Latiusq; cruor, mundoquè coæva
Nomina Regnantûm, pulchro ſedere theatro.
Quid tanto Argivas quæris diſcrimine lanas?
Hic trabeas Orientis adi: Tibi Græcia cunis
Illuxit; Lucina refert Lunburgica Græcos;
Te Paleologicæ nutrivit faſcia Vittæ:
Charlottā Gvelfus tinxit color; intima Gvelfis
Conſtatinigenûm fluxit cum lacte Corona;
Hinc Byzantinis jam certus Alexius heres.
Cecropidûm vetus Imperiū, ſceptriſq; trecēti
Huc quamvis fluxere Dii; tamen iſta vetuſtæ
Lucis Majeſtas, uno ſuperatur ab aſtro
Nominis Auſtriaci: Mundi collata potentûm
Congeries Regum, Caroli ſe porrigit umbrâ.
Ille tamen cum ſole potens, cum fulmine, Cæſar
Lætus amat Gener eſſe Ducū, quos Albis adorat.
Adde tuas Palmas, quæ ſummi ignota trionis
Atria tranſcēdunt, Aſiam, Europamq; coarctāt;
Jam mundi fortuna tua eſt: veſtriq; nepotes

Bistonidûm frangent, inter cunabula, Lunas';
Et Nilum de fonte bibent: quodcunq; subEuro,
Arctoroq; latet, sub adusti littore Cancri;
Austria calcabit, sternet Ruthena potestas.
Serviet Euphrates Tyberi; Macedonia Rheno:
Mæsia Sarmatiæ; Volgæ captiva Propontis;
Dumq; tuū,quod cernis,erit;dū Moschica tātùm
Et tantùm Oceano Germanica sidera surgent;
Relligionis erit, quidquid Sol aureus ambit.
Plura volens, tacuit: meliùsq; actura tacentē,
Auscultante Petri cupidam se pectore condit.

SEntit Alexiewicz rigidi tabescere Martem
Pectoris, & liquida pietate calescere venas,
Vibratâq; manu, cujus vaga fulmina, Tressa
Luna perhorrescens, vultus avertit in Orcum;
Non fas est, non astra sinunt sterilescere curas
Relligionis, ait; donetur Alexius Orbi;
Sit gener Europæ; festas Germania tædas
Accipe: meq; tuis decet insudare triumphis
Sancta Deûm pietas, prolemq; & fata litare.
Nil mihi subscribo: quidquid nascentis ad Aras
Solis agam; referet Sacris cælestibus ensis.

HÆc ego pòst,graviore tubâ: nūc pollicePhæbe
Odrisiā percurre chelym: nunc remige penâ
Vatem

Vatem ad Saxoniæ stellantia Pergama differ.
Venimus ad tædas, ad magni fædera nexus!
Regificos ubi dulcis Hymen conjurat in artus:
Et cedit lorica faci: Latiumquè Pelasgis,
Europamq; Asiæ, vis intemeranda catenat.
Jamq; coronatos Mundi miramur Amores:
Jam Victor clamatur Hymen! Germanica Rosso
Porrigiur jam Juno Jovi; Bellona Gradivo:
Imperiis, fortuna tori. Jam Torga frequentûm
Jactat adoranda se majestate Deorum
Conspicuam: cælum exurunt, terrestribus astris
Grassantes per inane, pyræ: pluviusq;Pyracmon
Flammigero stellas glomeratim exsibilat angve
Et pavet incendi peregrinâ luce Bootes.
Atria prospicias,ut gemmis fulgurat aurum!
Ut tremula cum luce salit jactantior Hermus!
Hic summos hominum fas est,sumosq; tonātûm
Cernere: discumbunt Reges, majorq; potestas
Czarus, adhuc duri nitratus imagine belli,
Festivo ciet ore diem, votumq; Maritis
Accinit: ipse manu nectendis lilia Sertis,
Ipse rosas gemmis, adamanti copulat aurum:
Orbe ligat digitos Nuptis, ligat Orbe capillos,
Sedulus unanimi Cidari componere mentes.
Per medium, Attalico lambit fastigia filo,
Petridæ, Nuptæq; thronus: Proh! quanta duorū

 Unio!

Unio! quàm similis vultu rosa, fronte Camæna!
Alterius formam rapit alter: Sponsa Petridæ
Vescitur obtutu, Charlottæ lumine Sponsus.
Non aliter ferrum, quoties Magnetide gemmâ
Tangitur, obliquum fugit irrequietiùs orbem,
Uniusq; facis, qualem Septemtrio promit,
Vivit in occursu, ferroquè tenaciùs hæret:
Illi solis equos, quales Tithonia ducit,
Et Phäëtontæi currûs opponite gazam,
Temnet, dilectamq; sibi vertetur ad Arcton.
Figitur amborum roseis virtutibus Aula:
Pendet ab ore Nurûs, Generi suspenditur ore,
Utrorumquè Parens: turritæ saccara mensæ
Sternunt;plùs epulis vultus dulcescit Amantûm.

UNus abest,quem pōpa citat,quē tāta requirūt
Gaudia,quē blandusSocerum vestigatAlexis
Belliger Augustus, Solii Cynosura Poloni,
Gentis amor Lechicæ: nullis superabilis hastis
Fortunæ: Invidiæq; omni procerior ictu:
Lechia, quo luctante, stetit;quo Rege superstes
Insultat fatis, nec amat jam velle perire:
Plùs agitata potens,meliùs propè perdita,vincit,
Concussuq; suas vires firmavit: ut omnis
Tā mala Sarmatiæ, quàm prospera,Mūdꝰ adoret
Damna sed absentis, pensat Victoria, vultum
Augu-

Augusti referens, Pomerana tonitrua qualem
Irritâsse gemunt, nec formidare recusant,
Mugitu, confessa metum. Verùm ecce tueri
Hactenus incomperta juvat miracula rerum!
Pronuba vix Lyrico sonuere Palatia cantu;
Impliciti dextris: Oriens, Occasus, & Auster,
Parrhasiumq; Jubar, tereti sola verbere pulsant
Europamq;, Asiamq; catenas ludere ductant:
Tum famulos gyros,& carmen amabile,Sponsis
Apparat immensi tornatilis orbita mundi.
Mox Regalis Hymen, nexas adamante catenas,
In quibus Hesperiusq; Eous, & Arcticus Orbis,
Phidiacum præfulget opusPhäëtontide gemmâ,
Pactolusq; comes Gangeti, & Gadibus Helle,
Atq; Paratoniæ Syrtes, ac decolor Afer,
Oceaniq; sinus, & nondum cognitus axis;
Purpureis Sponsis, magni pro munere Voti,
Injicit: aureolo Concordia læta monili,
Inter utrumq; polum,pansis amplexibus ingens,
His desiderium regnorum, vocibus effert.

PAr populisSceptrisq;Genꝰ;Par,cōpede quorū
Vinciri vinciq; petit male barbarus orbis;
Vos sacra Relligio donis; vos Austria votis;
Moscua vos Aquilis;Germania grandibus alis;
Acclines, lacrymis, Scythico servire tyranno

Pertæsi, accumulat populi, Dominosq; requirunt.
Vos Libani tristi circumspicit æthere Cedrus,
Vos captis Jordanis aquis, Solymæaq; plorant
Balsama, singultu celerem inclamantia Palmam.
Ite per excordes Danaos, recutitaq; Regna!
Germanas Aquilas, Aquilis conjugite Rossis,
Et primo tonitru armorum prosternite Turcam!
Ite, Palæstinas Lauris convolvite ripas:
Et date supplicibus terris, nec serò, Nepotem,
Qui, Matre, Austriadûm Frater, magnoq; triumphis
Aut suppar, aut major Avo, trans ultima mundi
Non habeat, quod vincat adhuc, Mundoq; superstit:
Et consangvineis heredibus impleat Orbem.

Jllustris-

Jllustrissimo Domino JOSEPHO Comiti à Tenczyn OSSOLINSKI,

Castri Sandomiriensis Præfecto cum jurisdictione (Judicem Capitaneum vocant) cùm primò adiret Fasces Judiciarios, ab Jllustrissimo Parente, Maximiliano Ossolinski, Regni Poloniæ Supremo Thesaurario, abdicatos, Filio traditos, Annô 1730. Stemma Gentis est Ascia, vernaculo nomine Topor, *ob antiquitatem Generis*, Starza *nuncupatur; & hujus tesseræ Nobilitas:* Toporæi,

Sta-

Starzones. *Cùm Lecho in Sarmatiam commigrarûnt. Auctor Comitum à Tenczyn*, Navogius, *à quo Tenczynscii, & ex his, Ossolinscii. Inde Titulus carmini datus est:*

Honoris Senium.

In Arma

Domus Ossolinscianæ, hoc est: Avitum Insigne Asciæ, STARZA nuncupatum.

Epigramma.

STarza, lacertosum quamvis lassaveris ævum;
Ærugo ferrum nobile nulla subit.
Scilicet, assiduo Themidis limaris ab usu;
Emicat inde Tuus luce vibrante chalybs.
Magna tamē Senii est reverentia: rapta sub ictum
Crimina, cûi sternunt, occubitura, caput.

CARMEN.

PArcite canitie Lechici veneranda Senatûs
Lumina, per Senium tandē provecta Potestas:
Et pariter Regni, pariter progressibus ævi,
Lassatâ jam tusse Patres. Nil lustra moratur
Ante diem matura coli, matura frementi
Dicere jura foro; morumq; nefanda, severis
Fasci-

Fascibus, ac stricta scelus emendare Securi,
Nondum Annis, verùm cana virtute Juventus
Judicioq; gravis: nec mento, mente senescit.
Ultima vix donāt Animos, si prima negarûnt
Tempora: sed Virtus cunis cum Stirpe coæva
Porrigit ingentes ad Olympica præmia cursus;
Nec menses ad cæpta vocat: lanuginis expers
Surgit in exemplum, summosq; lacessit honores;
Conicia barbatos meritis superare Catones.

TAlis adoratos producit Starza Nepotes?
Talis adest rigidæ Themidis juratus ad Aras
Mente professus Avos, tenero Joseph9 ab ungve.
Non Illum illecebræ, non otia sontica, pigro
Nutriverè sinu: molles à lacte perosus
Ætatis remoras, palmarem protinus, acer
Ingenii morumq; pugil, decurrit arenam.
Mox avidis præstans studiis, & flore polito,
Plenum Ossoliniæ Gentis decus ingerit Orbi,
Ante pilos Nestor: qualem solertia præcox
Compsit, & hortatrix exsculpsit gloria Stirpis,
Degenerem non passa moram: rebusq; gerendis
Prævalidum, lectos Patriæ limavit in usus
Dexteritas exacta brevì; teneroq; prælta
Corpore legiferi sedit, Prudentia Consi.
Sic oritur Titan! urgendæ lucis habenas
Vix

Vix natus, jam magnus agit: sic Solis ab ore
Induit æternum Stirps Ossolinia Nomen:
Non tyrociniis crescit, nec tempore sumit
Incrementa Facis; primo grandescit Eoo,
Perfectumq; diem, Generis cunabula promunt.
(a) Sic juga Stelliferi Sandomiriensia Castri
Invehitur, Solemq; infert nictantibus Astris
Digna Palatinæ Themidis jactantia, Prorex.

ERgo tuæ stabilis gratare Astræa bilanci,
Non dubias sortita vices! Atlante quieto,
Par humerus succollat onus: justiq; Josephus
Occupat Acta Patris, nō tardus honoribus Heres,
Et Sandomiriæ clamosum lite tribunal
Majestas pro Rege, subit, non tristibus Annis,
Sed libræ ratione gravis, sensûsq; liturâ,
Eloquiiquè favo, legumq; tenore peritus,
Succedit Solio, Dictator Juris & Æqui,
Sarmaticus, pro Patre, Solon, pro Lege Lycurgꝰ.
Cûi, quamvis media est inter juvenemq; virumq;
Frons vernas prægressa rosas; verùm ora refellit
Pectore vita Senex justi rectiquè tenaci:
Rugaquè culpando sceleri censorius horror,
Puniceis invita genis, vult læta timeri.

TU verò augustus, prisco præstantior ævo,
Con-

(a) *Tessera Palatinatûs Sandomiriensis: in scuto cæruleo, Stellæ novem.*

Consul, Ossoliniæ renovabilis æra senectæ,
Quo crescente, viget; quo jura tenente, resurget
Lapsa fides, veterisq; sequax candoris honestas,
Lentus es! Optantis, queritur sua tædia, fessus
Nobilitatis, Amor: Dederat Lucina mereri
Prætextam mutare Ostro: paruusq; Camillus,
Et Numa, jam poteras implere Senacula Regni;
Et tractare puer, niveis tractanda capillis.
Serus adis curas, nostriq; pericula Clavi.
Usq; diu populi tua Spem cunctatio torsit:
Famaq; cana Tua est. Quid ab Indole defugit usꝰ
Penè Vir Infantis meritum tulit. Accipe Fasces,
Jusquè tui pretii, Patriæ concede roganti.
Æqua Themis præbet manibus gladiūq; librāq;
Justitiæ momenta, Pater. Crudelibus ausis
Regius Ultor ades; miseris affabilis Ara.

INterea, dum Te glomeratim undantibus Alis
Fulgentes Aquilæ, populiq; impervius Ordo,
Nobilium confertus Eques, Procerumq; corona
Arcibus Istuleis Tutelam, Argumq; salutant;
Dum præcelsus Honor fert Judiciaria Sceptra;
Ærumnisq; loquax, (pressæ sors ultima Causæ)
Fortunam Numenq; vocat circumflua plebes;
Enthea nostra Chelys, Rhodopæi murmure Fili
Primigenûm Vultus Comitū, Genus usq; Deorū
Exci-

Excitat: in Starzæ Senium descendere solers.
Scilicet; in Te omnis Proavûm se clara Vetustas
Cōtulit, & pulchræ speculum dat Vena palæstræ.

FAma! perantiqui retinens; studiosa futuri,
Cantandis Dea facta Virûm imortalibus Actis
Et quam nulla retrò capiunt oblivia, quidquid
Invida Lethæis injuria merserit undis;
Tu Stirpem Arcadiam, Stellîs Lunâq; priorem
Cretæiq; Jovis vagitum, & ab Hercule primam
Heroum seriem, nimiùm lingvata recenses,
Eruta pulveribus tu Nomina nubibus æquas.
Pande Bipēniferæ Gētis Jubar. Unde tot Armis
Tot Ducib9, Procerūq; globo, tam longa studebāt
Secula, nec poterat Titan vidisse recentes?
Sive Lechus Lechici dat parva exordia Regni;
Jam canus tunc Starza fuit, nidumq; tenelli
Imperii, senio infragili fulcire laborat.
Sêu, nunquam pacata Ducum bissena potentûm
Ambitio, totum Lechiæ sibi dividit Orbem,
Perq; vices regnat; duodenis (*b*) optimus unus
Imperat, imperiiq; jacit grave pondus in Unum
Starza Virum, Gracchūq; (*c*) jubet regnare coactū
Ipse novo pro Rege, Pater, Regniquè creator.
Ecce duellantem, pro Virginitate Coronæ,
Vandalicis Vandam populis mansura daturam
Nomi-

(b) *Starzones inter 12. Palatinos.* (c) *Craco imponunt Monarchiam.*

Nomina, Ritigeri vis castigata celebrat!
Starza hebetē sitit ense procū, totumq; per hostē
Fulmen agit; promptus rivales Teutonis iras, (*d*)
Virginis à Solio, furvum exturbare sub Orcum.
Differe, siqua tenes, Lecho, Gracchoq; priora
Nomina, Fama Domûs! nunquam primordia tāti
Continges Generis: sicco fessa æqore guttas,
Et Nilum de fonte leges; nec Originis altæ
Jactabis cognôsse Caput. Dic æthere lapsam
Progeniē, mundo æquævam, semperq; virenti
Canitie vegetam, quovis sub Sole trophæa
Ponere, perpetuis natam florere triumphis.
Sed propiùs quos nota tulit, quos Sanctior ætas
Marmore Phidiaco, fusoquè pereniùs ære
Grādibus impressit Fastis: celebriquè per auras
Fecerat ire Tubâ; vocalibus ede Camœnis.

AUdimur! Bipatēte Cedro, subducta coruscant
Culmina, stellato non concessura Tonanti.
Ara superfulget Martis, supèr, Ara Minervæ:
Ascia utramquè implet: galeatis Numinis instar
Ascia Numinibus, quam plurima Laur9 oberrat.
Inferius, veteres formas rude sustinet aurum
Aurea busta Ducum, Sagulo, captisquè superba
Gentibus, inquè Auro pugnaces exserit Iras,
Frons vivas minitata neces. Pars altera profert
Con-

(d) *Regni Gubernatores post Vandam.*

Consilii, Svadæquè Viros, faciemquè Senatûs:
Limina festus Honos, & Gloria dives adorat;
Alternisquè tonant concentibus: ille Togatas,
Hæc canit armatas laudes; quas aure bibaci
Fama rapit, toti mox garrula buccinat Orbi.

(e)Ut volucer *Chrabri* gladi9 jam fulminatOrtū
Jam ferit Occasum, gelidâq; repercutit Arcton!
Ut trahit Æratis Albimquè Ossamquè catenis
Istuleo servire vado. Seû vapulat Ister,
Sive Borysthenïæ frenum admordêre procellæ;
Plagosusvè jugum recipit Tyra; Viceratl Istis
Militiæ Sociis, Clavæ Cuneiquè Magistris.

Inde tuos *Crivouste* (*f*) ortus,flam̄amq;Juvētæ
Chironis trutinâ solers, instarquè parentis,
Flexanimi nutu cohibet, mox objicit hosti
Docta Sago *Toporæa* man9, Regēquè per omnes
Victorem Gentes, curru comitatur ovante,

Quis verò Ille, caput galeâ cristatus ahenâ
Barbaricā,mucrone, fugam remoratur & urget?
Nosco Ducem! Scythiæ tergum, vibice cruenta
Navogius plectit (*g*) Dacusq; & Moldavus ultro
Restitat, ut magnæ cædis dignentur honore,
Et clades Authore levent. Sol Ille Senatûs,
Idem Martis amor, discrimina fortia monstrat
Tenczyniis, per quanta Patris vestigia, durum
Eluctentur iter, partæ ad fastigia laudis.

Jam

(e) *Boleslao Chrabry exercituum Duces.* (f) *Boleslai Crivousti Adolescētiæ Tutores.* (g)Navogius *Comes in Preginia: Prim9 in Tenczyn; Palatin9 Sandomiriēsis.* Cromerus.

Jam mihiTēczynios pandūtDelubraGradivi.
Hos, litui, nondum bene pubertate subactâ,
Per Tanaim vectant, Getici per frigora Ponti;
Terribiles Asiæ, Taurumq; Hypanimq; feroci
Scrutantur gladio. Besso manus uda cruore
Sævit, & hyberno fumat vaga Thracia tabo
Sangvineas mirata nives. Nec segniùs Hebrum
Quàm tua percutiunt hirsute mapalia Mosche.
Prussica deîn laurus, Pomeranæ &Pañonis Urbes
Cælatis vivæ Clypeis, Tenczynscia signant
Classica, perq; omnes currit Bellona triones.

Ex acie fessos, primæ discumbere Sedes
Invitant, interquè Deos tractare Curulem
Prima ferè lanugo meret: bis tincta, repôsto
Succedit clavata, Sago, dibaphusquè triumphis.
Suntq; Senes subitò, non quos asperśa pruinis
Tempora; sed rigido substrictus sermo Lacone,
Consiliiquè ferax decorat sensata Juventus.

Hìc autē se celsa Ducum fortuna frequētûm
Spectari, noscique sinit. Nondum ore comato
Cernitur Andreas (*h*) Craciæ suprema tenere
Jura Palatinus. Provectæ præmia mentis
Impubi delata genæ: tanti alta notatur
Svada Casimiro, censendi pondere Magno!

Quis seriē Comitū digit9 dabit? Astra trecētis
Orbibus, & totidem currebant sæcula bigis;

I Atquè

(h) *Andreas Comes in Tenczyn 17mo ætatis Annô, creatur Palatinus Cracoviensis à Casimiro Magno.*

Atquè iterum fessis revolubilis orbita Phæbi
Quadrijugis, alios ter centum triverat Annos,
Principe dum Clavo, sublimis Regia Craci,
Vix alios perpessa Duces, pendebat ab Armo
Tęczynio, pressitq; humerum procera subactum
Purpura, canosis jam trita nepotibus heres.

Abripit hinc oculos Septemplicis altera Rami
Portio, regnantûm pariter, pariterq; tonantûm,
Sêu pacis poscant discrimina, sive tumultûs,
Ossolniadum, queîs prompta, & limpida suasu
Commodat os Solis, facundia; robur Achillis
Præbet amor Patriæ: nec fortiùs ense Corallus
Sternitur, ut Svadæ torrentibus icta sarissis,
Dat faciles palmas, populi rixosa procella.

Nō mihi fas cunctos propero deprêndere visu
Ora decem quatuorq́, noto, pro sede Deorum
Conspicuo succincta Sago; quibꝰ ordine supplex
Dedicat acclines dum Sandomiria Fasces;
Purpureas Chlamydes, bysso de traduce texit,
Anxia vel sero circumdare colla Nepoti!

Eminet his, gladio Pyrrhus, sermone Metellꝰ,
Æneas pietate fibræ, Nicolaus ab Aris. (i)
Quid priùs attingam? Septem legit Ille cohortes
Fraternæ Comitūq; manûs. Nec Roma tot, uno
Ploravit Fabios bello, quot equestribus Iste
Instruxit cuneis, unius Sangvinis Alas.

Ictibus

(i) *Nicolaus Ossolinski Castellanus Sandomiriensis, Septē Cohortes Comitum Toporaorum adducit Regi Ludovico Hungaro, contra Rossos & Crucigeros.*

Ictibus hastatis Procerûm, succumbere mundus
Par erat; occumbit Rossus, legemquè rebelles
Teutonici accipiunt, crucis effera copia, Fratres.

Tot lauros Ludovice, tibi, tulit una bipennis!
Sed plures, Jagiello, tibi. Nam Marte cruentum
Hectora, majori opponit Rex Sanctus Hyenæ,
Ut Stygium Plutona domet. Lithvania falsis
Circumventa Diis, ritus assveta profanos
Mendaci præbere Jovi, detrectat opimum
Christigenûm captare jugum: Rex ipse protervæ
Svasibus incumbit turbæ: Regemquè perosus,
Pro Christo Orator; Mystæ pro munere, sacris
Fontibus abstergit, nutu quos cælite punxit.
Jungit Ossolinius, pro Relligione, laborem:
Et, quâ nuper agit cæsos in tartara Prussos,
Associat cum Rege manum (k) mitisq; locutor
Cogit anhelantes Fidei sub signa maniplos:
Lithvanæ haud temerè trabeatus Apostolus oræ.
Tunc patuit, quantùm frangentibꝰ ænea contis
Mænia, plùs valeat divæ omnipotentia Svadæ!

Quid cerno? Aligeri turmæ Cælestis Ephebi
(l) Sangvine stillantem vectant Heroa per auras
Illaturi astris, nisi Lechia flebilè poscat,
Longiùs ut tantæ speciem Virtutis adoret.
Ergò repentino demittunt brachia flexu,
Hìc, ubi Caucaseas turrita Leopolis Arces

I 2 Pro-

(k) Idem convertendæ ad Christiana Sacra Lithvaniæ insudat. (l) Hieronymus Ossolinski Castellanus Sandomiriēsis in conflictu ad Obertinū, lethaliter prostratus, ope Deiparæ Virginis, momēto uno, Leopolim prodigiosè trāsfertur. *Okol:*

Projicit in Cælum: dulci se pondere tandem
Expediunt: rursumq; Tuos Hieronyme vultus
Reppetimus! dibapho solantur vulnera Reges,
Atquè paludata incedit numerosa cicatrix.
Tandem & *Zbignæi* fulgenti proxima cælo
Se referat Virtus. Vel Is exhortatur in Hæmum
(*m*) Bellaces prodire iras? ferrum igne diserto
Concalet, attonitos discurrit flamma per enses.
Vel, si fraternas agitat committere dextras
Seditio, civile nefas? tunc prodigus oris
Involat, & toto converberat arma Pericle:
Vaginâquè jubet gladios hærere furentes.
Paretur: torpetquè manus jam frigida, nuper
In patrios grassata focos. Sic dispare motu,
Sarmaticus mucro, rabidos nunc concipit ignes,
Nũc riget ac lãgvet; qualem Comes imperat usũ
Magnanimi subit induvias, subit esseda Patris,
Et lenes populi flectendæ mentis habenas
Cecropio rapit ingenio, par ternio Fratrûm.
Primus in obtutu Statuâ sublimis Equestri,
Imperii Latii Princeps, (*n*) Ducis emicat Ostro;
Sed Cyneæ torno, sed censu Tullius Oris,
Præradiat, Gentesquè ferit splendoris acutum
HũcRhen⁹, Tamesisq; ac Sequana, Tibridis undæ
Adriaciquè profunda maris, Pontiq; recessus,
Fluctibus arrectis, procul obstupuere loquentẽ:
Eru-

(*m*) Zbignæus Ossolinski Palatinus Sandomiriensis Fæderatam Nobilitatem in obsequium Regis adigit: & Conspirationem exercitûs dissolvit. (*n*) Georg: Zbignæi Filius. Dux in Ossolin S. R. Imp. Princeps, Palat; Sandomir: mox Cancel-

Erubuitquè sui squallentia Consulis ora
Romulus, ut nitidis facundia tincta Camænis
Urbibus insonuit rapido torrentior amne,
Sarmatici Periclis. Quid Musa? quid æra lacessis?
Cultibus Europæ Regum pensata Georgii
Gloria, perpetuæ fertur modulamine famæ.
Sed neq; Christophori Cyrrhæo mõte prehẽdã
Promeriti vel moris opes: (*o*) canit avius orbis
Legis Aristarchum, Magnetem Gentis: & usq;
Vistula tractatæ recolit Conchylis honorem.
Ludor? an æterna video de sede moveri
Cristophorũ? grandesq; Togâ nudare lacertos,
Atquè Palatini sua Laticlavia texti,
Purpureum decus, emerito mandare Nepoti?
Josephũq; merentem adigi, Proavumq; jubere,
Induat auratam Chlamydem: Clavoq; minore
Amplior, ingenitã scandat bona AvitaCurulem.
Hoc erit: & superûm manet indubitabile pignus
Nulla immortales fallit præstantia Mentes.
Te mihi quo tandem Phæbus pæane repinget
Gaza vigil Lechiæ, Regalis Claviger auri, (*p*)
Et Patriæ Regalis amor? qui *Maxima mille*
Nomina complexus; sed nondum Cæsare toto
Æquat opes Animi, prolixi Nominis ulna!
Cultior argento Virtus candoris opimi,
Gnara sui pretii, tangit, non tangitur Auro.
 At

larius Regni. Serenissimi Vladislai IV. ad Urbanũ VIII. Ferdinandũ Imperatorẽ, aliosq; Europæ Principes, Splendidissimæ Legationis Orator. (o) Christophorus Filius Zbignæi, Palat: Sandomir: Proauctor Illumi Josephi. (p) Maximili-

At non ſolus habes tantarum æraria laudum,
Reddit Avum, noſtris expectatiſſimus Annis
Imperio geminus (*q*) pariter Titulíſq; Graduquè
Maximus! At parilis menſuram Nominis ultra
Dos porrecta Animi, per muneris ardua crevit,
Olim Hunc præcipuis fax alta Ducatibus addet;
Nunc Corde *Augusti* medium tenet: Actio Clavim
Porrigit, & cunctis præſtat vigilantia Gazis,
Et cara integritas fulvo non viſcida fiſco.
Agnoſcis Joſephe, Tuum Patriæq; Parentem,
Quem niſi Theſauris Regni fortuna dicâſſet
Publica; nullus erat cenſeri ſanctior alter,
Hunc ego dũ memoro, cũctæ geſtire vidẽtur
Heroumq; Ducumq; Umbræ: ſed amænior unus
Qui genuit, gaudet ſe creſcere prole gigantis
Nominis, inquè polos ſublimibus ire lacertis,
(*r*) Stat facie averſâ Titulis: dextra emicat enſe
Pectus grande animæ, compar lorica coërcet:
Scæva premit Labarũ, meritorum nomina dives,
Ambitionis inops. Pulchra indignatio, partâ
Majeſtate gravis, damnat per aperta ſalire
Pegmata Fortunæ, & Sellas vexare Curules.
Sub pedibus Falces, & ſupplex Purpura ſerpit,
Tollite, ait, merui: ſed amant faſtidia Grandes:
Contemptus me vexit Honor. Vos ferte Nepotes
Me monſtrâſſe ſat eſt iter, & docuiſſe mereri.

Per

anus Filius Zbignæi Supremus Regni Theſaurarius. (*q*) Maximilianus III. Sereniſſimi Auguſti II. Regis, & Regni Theſauri Supremꝰ Præſes, Illuſtriſſimi Joſephi Parens. (*r*) Iſtiꝰ Progenitor Maximilianus II. Aquilifer Terræ Drohycinẽſis

PEr tot inexhauſti Senii Comitumq; Ducumq;
Agmina deductus, cunctorum forma, Joſephe
Virtutumq; Domûs nova Theſauraria gemma,
In pretium veteris profers compendia ſecli;
Judiciumq; novi. Te ſuſpicit alta propago:
Tu cunctos virtute creas; Centumq; Curules,
Et centum trabeata uno prænomina vultu
Reſtituis, ſaturumq; Jubar Majoribus addis.
Talem Te Lechici diſcunt cupiuntq; Quirites!
Sic Te Scaldis amat: Rheni Rhodaniq; crepido
Vix tranſcurrentem ſpeculo conſpexit aquarũ;
Capta hæſit, tenuitq; pigras in imagine Nymphas
Gallia Sequanici migrâſſe inſignia floris
Viſa queri, tecumquè Lechis accedere terris:
Tanta Tui ſtrinxit peregrinos gratia Soles!
Tantus amor comis genii, quem mentis amuſſis
Et caſtigati decorant gravitate lepores.

JAm Sandomiriæ viridem ſubſellia Conſum
Invitant: Solio Te civica ſerta coronant:
Denſata occurrit nexis Provincia lauris:
Pectora Nobilitas reſerant: & Scipio dextræ
Obvius, hortatur jus Præſidiale prehendi.
Reſpirant animam Themidis Sacraria: pandunt
Diloricati ſeſe præcordia Caſtri; (*s*)
Sive ſibi vaſtas, patulo promittat hiatu

I 4 Spes,

(*s*) Caſtri Sandomirienſis munitio, quondam hoſtium dolo per cuniculos ſubverſa & lacerata, usq; modò hiat.

Spes, de Te cumulatus honor; seu Judice sancto
Tutior Arx, lutei temnit munimina valli,
Spartanam complexa manum: Spartamq; tueri
Justitiæ, legùmquè, parem fortita Solonem,
Surrogat hiscentes probitas adamantina muros
Quam nō muneribus, Colcho non Arjete frāget
Structa manꝰ scelerū, pugno penetrabilis aureo.

AUdiit effusæ vota acclamantia Gentis
Istula, Ololiniū reboare per æthera Nomen
Audiit! algosumq; caput, glaucâ extulit urnâ:
Ter calamo saliit: socio ter cornua Sano (t)
Incutit, & vitreâ plaudentes Najades algâ
Ter celeri saliere choro. Nunc vivimus! inquit:
Nunc memori, priscæ mihi refluit orbita venæ!
Obryzoquè scatet redivivi circulus ævi.
Fascibus antiquis refloruit Istula tellus:
Usquè redorditur felices Ascia fastos.

(curre,
Curre per acta Patris, Proavûmq; per inclyta
Et primos propè linque Duces, *Josephe*, propago
Nominis assidui! princeps Te Purpura, clarâ
Posteritate legat, Themidisq; oracula Vestris
Intumeant Fastis, donec regnator aquarum
Volvero perpetuas mā̄sura sub æquora lymphas.

Chara-

(t) A confluente in Vistulam, Sano fluvio, Sandomiriæ Nomen.

CHARACTER LUCANI
Seu
SPECIMEN BELLI CIVILIS.

TAndem exantlatis Arctoi totius Orbis
Viribus, & plusquàm Thebani turbinis œstro
Usq; adeò cecidere Lechi? vibrare cruentum
Ne liceat post sæva caput? Cladesquè receptas
Excutere? & valida Fortunæ crimina lævæ
Emendare manu? Sic vos tot monstra malorum
Sic tragicæ fregere vices! Sub vulnere tanto
Leche gemis, vulnus mundi in discrimina quale
Sufficeret, Trojāquè super procumberet Hector.

HOc non barbaricū, frēdēte Propontide, fulmē
Externusvè furor peragit; Sed nobilis iræ
In se versa manus: Civili sangvine partæ
Cladis, hiat Lechicæ, mansura ætate cicatrix!
Sed non Sarmatiā protrudet ad incita Mavors
Ignavumq; nefas timor, & pudor. Involat arma
Perniciem latura malis: fraudata Salute.
„Nulla salus pacis: falsa dulcedine (dixit)
„Mulcentur temere populi servire parati:
„Motus habet vires: motū hostes excutit æquor!

Ergò

Ergò vel Eoas, socialia classica, turmas,
Arctoiquè extrema poli vexilla ciere,
Auxilii virtute, juvat. Sed prima cruorem
Occupat, inflammat gladios, inseminat iras
Seditio nata innumeras conflare cohortes.
Divisasquè Aquilas, scisso Discordia Marte
Cogit, & agnatas, in mutua vulnera, dextras
Hortatur stimulis odii, legumquè colore.
Tum faciem justi mentita procacia zeli,
Instigat quenquam Patriæ non dêsse ruinæ.

„HOc alius faciet peregrinus frigidus ensis?
„Ense rigente tuo? Scelus est excēpla daturis
„Indormire malis. Decus & tutela Penatûm
„Dat calcar, causamq; jubet committere ferro.
„Jus & fas, calcata jacent: proba scita, protervæ
„Dilaniant technæ: convulso cardine rerum
„Justitiæ sacris inhiat Violentia sceptris.
„Fraudibus in cippum trahimur, nimiiq; favores
Nos faciunt Domino, pro libertate, potiri.
„Quis patrios servire focos raptoribus? aras
„Excisæ Themidis quis non miserabitur ultor?
„Publica res nimio marcet vexata sopore:
„Fac, scateat sangvis; juvat hūc propellere venis;
„Et cordi vigor, & manibus redit utile robur.
„Dissidiis utut intereant servilia regna;
„Libe-

„Libera divisæ reparat congressio pugnæ,
„Ingestusquè mucro, Furias à Civibus aufert.
„Quòd si flagitiis jus effera cessit Erinnys;
„Regnaq; convolvens, summis rotat ima, Libido:
„Non impunis ovet, qui se tibi fecerit hostem!
„Cuncta luant Martis facinus, laudesq; rapinæ.
„Et quantùm in bellis liceat Civilibus Iræ?
„Fata probent. Nec enim tot, tanta potētia Regū
„Par erit excidio scelerum, te, Leche, remoto.

SIc eat, O! Superi! si nil sperare relictum
Interitu melius; ne sit vindicta Polono
Altera, quàm ipse Lech9: donetur ut ultima gēti
Gloria, ne nostro sit quis felicior ense.
Plectere dum libuit Patriam. Sic Lechia summi
Flebile munus habes, Bellum Civile, favoris.

SI licet in tantis, generosâ surgere mentem,
Ambitione, malis; si gloria prima cadendi est,
Non illaudatæ quæsisse exempla ruinæ;
Lechia, non ignava peris: spectatur in armis
Pompejus, Mariusq; tuis: te Julius hastis
Objicit, inquè tuis fumat Pharsalia campis.
Nec tibi prærabidi conamina perdita Bruti,
Nec nimiùm justi desunt exempla Catonis.
Sed vis sordida opum, sed avari viscus Honoris,
Transvertit catulum Brutū; brutumq; Catonē.
Cun-

CUncta ferox rotat ambitio! fecitq; furorem
Quidlibet audendi, fraudũ Fortuna satelles:
Excussoquè jugo, pertæsa licentia morum,
Nil non lege licere sibi, probat ense parato.
Irrita ridetur, minor ense, potentia Legum:
Et spoliis venale forum: Fascesq; Deosquè
Hic emit, & quid non? fulvæ omnipotẽtia glebæ
Crescit hydrops aliis: auro exitialè nocenti
Victa manus Martis, rabiemq; & prælia vendit:
Inquè jugum Patriæ, ferrum servire rebelle,
Non sibi, dat Domino, venali sangvine miles,
Imperii Servator iners, & transfuga fortis.
Justa Salus adimit, donant perjuria vires:
Dumq; lares violare timet, putat omne timẽdũ:
Hâc pulsa pietate, nihil non strenuus audet.

VOs quoq; magnanimi certata senacula cæt9,
Atquè Tribunitiis, tristes, arbitria Virgis
Jecistis sancita faces. Oracula dictant
Aut dolus, aut odiũ: nec, quidquid voce laborat,
Interiùs prodesse putat sibi docta simultas.
Diffidet à lingva, mentis chaos: intima sensu
Exornante premit, sibi nata lubentia fraudûm:
Versuræquè suæ, Patriæ mentitur amorem.
Inde potentatus, Zephyris popularibus amens,
Publicolæ ostentu, populos indagine ductos,
Con-

Conjicit in partes, fucum quêis vendidit omnẽ.
Partibus ex aliis, vesana potentia ferri,
Prolixis Genii subvecta tumoribus, atrum
Commolitur opus: livore extrema coquente,
Ire vel in gladios, ruat hæc dum factio, flagrat.
Displicet immodicis laudata rogatio votis:
Quodq; Fides Patriæ rogat, ambitiosa Voluntas
Disturbat; statuitq; suum jus fortior astus.
Libera quod scilcit, vox æmula libera scindit:
Jusquè datum, sancire pares, & tollere leges.
Vertitur invalidum studia in contraria Vulgus;
In restem, cōmune bonum. Crudele Theatrum
Plebiscita movent: confligunt jura: Sagiquè
Justitiam, duo bella vocant: pars altera legem
Ostentat; pars ista citat. Sed, judice campo,
Qui vincet, defensor erit; qui cesserit, hostis.

NIl sed in ambiguos Regnũ magìs impulit æst9
Quàm Procerum rebus lis insidiosa secundis.
Musa tace, crimenquè Diis inferre caveto!
Parva docent causas: latebris se summa tuentur:
Pangere propositis summatibus abdita, par est
Nec Delphis educta Chelys: nimis alta profund9
In se pontus habet gravidæ momenta procellæ.
(nunquam
Turbida nobilitant Lechiam: quam Numina
Desti-

Destituunt, clavoq; feris Aquilonibus hausto,
Restituunt fessam, Caurusq; Notusq; Carinam.
Proderit hunc nescire diem: cûi, ardua, serum
Pacis inocciduos emolitura Triumphos,
Evolvunt pretium, nimiisq; arcana laborant
Obtendisse bonis, infamia Tempora, Fata.
Hoc agit extremos miscens Fortuna tumultus,
Invidus ut Lechiæ fastidia mundus adoret.

HÆc olim, Scissæ Reipublicæ, & Civilis belli tempore, Exercitationis Pöëticæ causâ duntaxat scripta, cùm neminem petant: offendent nullum. Et quantùm ad specimen exhibendum, plùs satis sunt. Sic, Petronius Arbiter, populi Romani motus intestinos dicere aggressus; mox opere destitit. Sic Auctor Pharsaliæ, consultiùs capiti suo providisset, quàm carminis famæ: faciendo quod scripsit.

Tempora signavit leviorum Roma malorum;
Hunc voluit nescire diem.

Nemo ignarus est, domestica Gentis vulnera feliciùs obliterari silentio, quàm pangi.

MICHA-

MICHAELI POTOCKI
NATO INFANTI
Jllustrissimi Domini STEPHANI Pilava POTOCKI, Mareschalli Curiæ Regni.

Leopoli 23. 7bris 1716. tunc, dum tota, pro tuendis Penatibus, fœderata, staret in armis Respublica.

CARMEN EXTEMPORANEUM.

ERigere, armorum rabie, Regumq; doloso
Marte duellātū, & nimiis propè victa periclis
Lechia! Nondū omnes Fabii cecidere, nec omnis
Destitit ense manus. Novus ecce Potoccius, astris
Desilit in gremium Patriæ: vix usquè creatus
Rimatur dextrâ capulum, vagitibus hostem
Poscit, & obtutu, cûi congrediatur, anhelat.
Seq; probat, quâ stirpe venit: parvusq; trecentos
Reddit Avos oculis; quorum galeata potestas
Maturam everti Lechiam, victricibus herbis
Eripuit fato: Thracoquè cadavere structis
Suffultam aggeribus, se stante, perire negavit.
Talis adest Michäël, talem felicibus ulnis(re,
Mater amat; neq; dum, quod amat, se credit habe-
Mune-

Munere ſpem vincente, Pater: ſed fulgur ocelli
Potociæ ſed flamma genæ, vivisque Leonum
Scripta notis facies, & frons Magnetide gemmâ.
Fortior, hirſutum potis exarmare Gelonum,
Conclamat, votiq; reos jubet eſſe Parentes.
Utq;Patrē doceat, quâ ipſe ſibi pullulat infans;
Faſtidit gerulæ obſequium, fulgentibus ardet
Attolli clypeis, lacrymas ad tympana ponit:
Accerſunt litui ſomnum, reboantia plumbo
Fulmina demulcent querulū: Patrûmq;trophæa
Poſtulat aure cani, plumæ dum tædia fallit.
Si plorat? queritur tardos ſibi currere ſoles:
Creber & explorat, dextrâ obluctante ligari,
Si modò ſaxifragam valeat torquere ſariſſam.
Creſce puer ſubitò,nec longos differ in annos
Fortia! ſitq; ſatis ruituro in prælia Marti,
Te natum ſciat eſſe ſibi: cùi vincere pronum eſt
(Pilavæ
Ante diem; nec enim quiſquam eſt ſatus usq;
Bellatrice Domo, cui non cum luce triumphus
Venerit,& Clavam dextrâ non prenderit Infans.

INTÆ-

IN TÆDAS MARITALES

Jllmorum Comitum STANISLAI DONHOFF, Palatini Połocenſis, Exercituum Magni Ducatûs Lithvaniæ Ducis: Et SOPHIÆ *de Granow* SIENIAWSKA, Caſtellani Cracovienſis, Exercituum Regni Supremi Ducis, unicæ Filiæ. Anno Domini 1724. Leopoli.

ENTHUSIASMUS

ITe triumphatæ cantata decennia Trojæ,
Everſorem Aſiæ (pudor heu) mercantia vultū:
Bellaq; fæmineam malè depereuntia formam.
Ite Duces priſci, funeſtaq; tæda ſuperbi
Julia Pompeji, Collatiniquè Marita,
Vindicib9 gladiis,plùs,quàm tibi,Regib9 ultrix.
Sieniaviā ſpectate Nurū,cui Luna propinquo
Cernua ſervitio, sêu pleno argentea vultu (*)
Riſerit; aut medium turrita redintegrat orbem;
Cedit opes pretiumq; ſui. Sed mentis honoræ
Virtutumquè duces, cæleſtia Numina, formæ,
Et pudor,& prudens ſtudium, caſtiq; redundans

K Elo-

(*) *Sieniaviæ Domûs Inſigne, Luna.*

Eloquii gravitas, uno sedere Theatro.
Sieniaviâ, pro quâ meliùs pugnâsset Achilles
Tuq; nefande Pari, & Trojam mersura Carina,
Huc velis remisquè iret; sine Marte cruento,
Mars sibi Lithvanus, socios adscivit in ignes:
Donhofiusquè Comes pacato vinxit amore,
Dux Gener ipse Duci. Lechici duo fulmina Belli
Myrtus obit: pacis Patriæ nectuntur Honores.

IN CONJUGALE FESTUM

Celsissimorum Principum
MICHAELIS KORYBUTH WISNIOWIECKI,
Ducis in Wisniowiec & Zbaraż,
Cancellarii Magni Ducatus Lithvaniæ.
Et MAGDALENÆ CZARTORYSKA
Ducis in Klewan.
Insigne Domûs Korybuthæorum, Luna crucibus insignita; Czartoryściorum, Eques Cataphractus.

QUæ Cælo se pōpa vehit? quis proxima Phæbo
Sidera nexus habet, festoq; incēdit amore?
Hìc, ubi ferrati rutilat Domus ardua Martis,
Hìc, ubi purpureæ fulsere Palatia Lunæ,
Discurrit pharetratus Amor, jacit aurea tela,
Intenditquè novos, Phàëtonte ferocior, ignes,
Tequè tuis Deus ille coquit Latonia tædis,
Sauciat ille tuis & te, Gradive, Sarissis.

Acer,

Acer, & in prædam lunato belliger arcu,
Sponte Dianæis Mavortia pectora telis
Induit, & toto percussit Marte Dianam.
Bella gerit, pacemq; refert: haurire pharetram
Sidus utrumq; velit. Festinos Cynthia currus
Arripit, & Martis postes ferit hospite vultu:
Mars calet, & Phœbes sociali carpitur igne:
Destitit ense manus! manus in concordia currit
Pacta, sit ut Lunæ Domus, & Domus una Gradivi.
Gratantur Superi: lævo genialia sanxit
Fulmine Vincla Tonans: præeūt, Hyperionis aula
Et stellæ Procerum similes, ubi culmine cæli,
Perpetuo calet igne, Jovis calet Ara vapore,
Fœderibus, paciquè Deûm, inviolabilis Ara,
Hìc feriunt sua vota Dii, sua jura Planetæ:
Alternoq; jubent consensu vivere Mundum.
Connubium fert sceptra: *creant geminata, potētes*
(a) *Per socium, effectus:* sêu donant Regna sereno,
Sive manus nectunt ad prælia, vimquè tonandi.

FAllor? an hæc Lechicis se pōpa Trionibꝰ infert
Sarmatiæ *Cælū* est, quod, pro Jove, tēperat alter
Augustus. Patriis Dux Wisniowieccius astris,
Instaurare diem par est, Titane remoto.
Sed Ducis in Klevan, pugnaci ferreus ense,
Et Mundum domiturus Eques, nil cedere Marti

(a) *Manilius.*

Conſcius, in medio tentoria figit Olympo.
Talibus occurrit, tales adamante catenâ
Vincit Hymen; Mitrisq; incũbit pronuba Myrtus (duorum
Et Ducibus, Duce præſtat Amor. Quàm pulchra
Fœdera! Regalem Michàël porrectus in Orbem,
Sangvine contingit Solium, Jove tertius Ajax.
Componit cidarim par Czartoryſcia Princeps,
Æquæva imperio Lithavûm, vel major origo.
Jungite Conſortes dextras, Junone ſecundâ,
Heròës animæ, Lechicæ ſtirps conjuga Famæ!
Et date victori Populo, exſpectata Coronæ
Lumina, perpetuosq; Duces, fatale Gelonûm
Sidus, Abydenûm torrentia fulmina Thracûm
Nec deſit Patrio bis Princeps tænia Cælo.
Sidera concurrunt, Lechiæ paritura Serenum.

Illuſtriſſimus Reverendiſſimus
D. THEODORUS *de Ludinghaus* VOLFF
Epiſcopus Livoniæ, Duodecim Eccleſias,
per Livoniam erexit novas, & dotavit.
Stemmate: Leo in auras erectus.

ENTHUSIASMUS.

STate Aræ! Remeant Divi; exturbata profanis Relli-

Relligio, usq; adeò cêu Numen inutile, terris,
Livoniæ tenet alta tholos: ſolemnè profundis
Fixa ſuper populis, & anheli poplite Mundi.
Hanc, vinci impavidã, vectat Leo; compare luce
Cana Fides, Sociæq; micat Reverentia Romæ.
At quãtus Leo? nõ humilis quem gloria prædæ
Lætificat: ſtat non fragilis pro Numine murus,
Atquè indefeſſas, pro Relligionis honore,
Aſperat ungve minas. Non hunc impunè fatigat
Tænarus; occurrit ſceleri, juſtoquè calore
Nobilis, extorres Superos, tumulataq; Divûm
Atria, cùmq; ſuis verſos altaribus ignes,
Inſtaurat, plaudente Polo. Quid livida virus
Hæreſis, & Stygios in frontem colligis hydros? (aris
Aût prædas revome; aût, ſuper his, quas polluis,
Vittato occumbes trux hoſtia Lerna Leoni.
At vos, perpetuis ſuper incumbentia Divis
Culmina, quorũ altũ ſtructus lapis æthera ſupra,
Signat iter Populis, vicinaq; ducit in aſtra;
Nêu, ſi terra ruat, ſegnem trepidate ruinam!
Qui poſuit terris, cælo vos ſuſtinet Idem,
Ultor adhuc, ſtatorquè Leo.

 IN FU-

IN FUNUS
Illustrissimi Reverendissimi
THEODORI WOLFF,
Episcopi Livoniæ, Nominati Culmensis.
NTHUSIASMUS.

EXacuare dolor! grandes tibi suggerit iras;
Fatorũ,superûmq; freques in prospera livor
Et semper splẽdentûm Animarũ, ac stemmatis alti,
Præcipiti invidiâ, raptor polus. Ecce recenti
Vulnere Culma labat, Vittati morte Leonis
Obruta! Non illam nutantia Templa, revulso
Exarmata Pedo. nec sic sua damna cruentant,
Ut tua busta, Leo. Dolet, æternùmq; dolebit,
Vix delibatas, & adhuc in flore recisas
Spes, & dilecti tumulum quoq; perdere Wolffi.
Ille Deûm major donis,dum maxima iactant;
Et tantùm ex astris, Præsul concessus ad Aras.
Nondum luce satur,nondum poscentibus annis;
Sed, quia cælestes pupugit querimonia mentes,
Laudari tellure parem, dignumquè perenni
Sole virum,qualẽ cupidè sibi prensat Olympus
Vi rapitur Culmæ. supremaq; sidera pandit.
Illum omnes Aræ, lacrymis & thure Sabæo,
Suspirant: uritq; Sacros rogus asper Honores:
Et Lechicum jactura viri consauciat Orbem.
Sed

Sed lessum moderare dolor. Nec sideraCulmã
Eripiunt Magno: cælo quoq; servat amorem:
Utq; habeant Aræ virtutem, animamq; Leonis,
Succedit penè ipse sibi: majore superstes
Parte, & major adest: crevit, post suma, Nepote.

Illustrissimo Domino
JOSEPHO KOSS, Palatino Culmensi:
post Fata Theodori Avunculi sui, Nominato Episcopo Culmensi.

ENTHUSIASMUS.

WOlfforum cessare diem,nêu plangiteLechi!
SuntAstrisDomini: nec se subducere terris,
Semper inocciduo sed sidere regna tueri,
Juratasq; sibi, mandare Nepotibus Aras,
Atque aliis, aliisquè diu florere propagem
Nominibus,per & omne genus proferre Leonẽ,
Consilium sancivit Honor. Subit ecce Tiaram,
Et Wolffi induvias, parili superinduit armo,
Ille Palatinus qualem sibi Lechia cerni,
Et cunctis Latio Populis prodesse Senatu,
Roma sibi,nec sola,vovet.QuantùmAdriaTybri
Cõqueritur! quantùm uvifero GermaniaRheno
Te volucri,Josephe,rotâ,& tãtùm hospite vultu,
Agnosci, amittiq; simul; cùm Principis annos
Sarmatici, & soliis Regnorum digna videri

Ora *Friderici*, cupido, Comes, ingeris Orbi:
Regificæ Rex ipſe viæ, ductorquè Ducalis
Indolis, & tenerùm gradienti Arſenius aulæ.
Tunc poteras gratos animorũ excire tumult9
Urbibus Italiæ: Wolffoq; Leone, Leonem
Adriacum, triplici (*) Koſſorum ſiſtere campo.
Tunc & Aventinos pupugit cunctatio Patres,
Nondum Flaminias, nondum Capitolia, Vultu
Koſſorum oppleri, & promptos arere triumphos
Talis adit Patriam, talis Culmenſibus aris
Accelerat, quem jam totus ſibi vendicat Orbis.
Ergò procul nimbi, Vittis creſcente Joſepho!
Kos acuit ſpem, dura premunt quam rũpere fata
Nil funus rapuit. Quêis fletur Avunculus Aris,
Reddidit hũc, par ungveNepos, par mẽte, Leoni.

Illuſtrḿæ D. MARIANNÆ de Wolffis KOSSOWA, Palatinæ Culmenſis (cujus Proſapiæ Inſigne Leo eſt) doloris, ex *multiplici repentinâ orbitate, magnanimitas, Leoni comparata.*

SCit plorare Leo: lacrymas non dulcè cadentes
Increpat, erectus cælo: nec plaga dolorem
Citra robur habet: nec eget medicamine mæror.
Se fortem meminit: tunc ſe non viribus ægris
Oſtentare juvat, cùm par incumbere lucta eſt.
Sic ſcopuli nimbos porrecto corpore temnunt:
Marmora ſic tacitè rorant, Jove nube madente,
Conſenſum teſtata poli: Sic Cerva ſagittam
Diſſimulat; nec enim vulnus, cælum illa tuetur,
Si placeat patiens: hæc ſufficit herba dolenti.

(*) *Koſſorum teſſera: tres Campi.*

Pòéſis Miſcellanea.

In Apotheosim
SANCTI
JOANNIS FRANCISCI REGIS,
Societatis JESU.
Anno 1737. celebratam.

Carmen Lyricum.

GAlliæ cæli nova Lux Joannes:
Celsior Francis novus hospes aris:
Narbonum Sidus: rutilans Operti (*)
Fontis Corona, Regie.
Pandi-

(*) *Fons Couvert*, locus Natalis Sancti: Latinè Fons coopertus.

Pandimus laudum pelagus Tuarum:
Tu preces illa relevabis aure,
Quâ pusillorum thronus, & labantûm
Audis Joannes bajulus.

Magnus, in cunis, Acherontis ultor,
Monstra Cocyti remoraris infans:
Visus, à lucta, pugil expeditis
Pulsare Ditem brachiis.

Segregem visco vitii Juventam
Inseris JESU Sociis maniplis:
Cantabri certus Ducis arte, bellum,
Francisce, mundo dicere.

Parvulis doctor datus, imperitos
Perpolis miti pueros arena;
Per modos omnes studet Increatum
Pubes Amorem scandere.

Nec brevi zelus caluit palæstra;
Cælites, Linguæ, per agreste vulgus,
Promoves flammas: vacat imperanti
Villana plebs & oppida.

Anxius grandes agitare prædas,
Rupibus sparsæ rude pondus oræ,

Sub crucis cogis labarum, gregales
Inter casas Apostolus.

Quæris extorres animas, & altam
Montium calcas per acuta, brumam:
Dissilit, sed mox coalescit, ipso
Agone salva tibia.

Haurit hirsutus nemorum colonus
Limpidæ morum documenta vitæ:
Ora pupilli gregis, à Joanne,
A Rege cêu pendent apes.

Ille Divino tonitru disertus,
Mentium duras quatit ore cautes:
Diffluunt Sontes, & amant salubri
Salire corda vulnere.

Gentibus nunquam satur excolendis,
Fando, septenas ferit, urget, horas,
Dum perorantem propè vox, & artus,
Et ipsa vita deserit.

Turpe lenonum scelus amoventem,
Mille Franciscum sitiunt mucrones:
Vincit! & raptas Veneris Sodales
In casta ducit mœnia.

Sæpè vel ſolo malè contumaces
Frangit obtutu, revocatquè mentes:
Exultat pagis furor; & Sequeſtro
Cadunt Joanne, prælia.
Pauperum ſolers animarum Oreſtes,
Corrogat nudis chlamydes & aurum:
Dexteram Regis ſubeunt egeni,
Cêu veſtiariam penum.
Sol laborantem fugit; ille pernox
Luſtricum cætus vocat ad tribunal:
Eſca, nec ſomnus; premit una Divum
Salutis humanæ fames.
Pergraves curis, gelidasquè noctes,
Siderum blandus vigilat precator:
His ineſcatus, nova lætiores
Ad cæpta vires colligit.
Nulla Franciſco requies caloris:
Saucius grandi face cordis, intus,
Temperat fruſtra Jove ſub nivoſo
Flammantis Ætnam pectoris.
Fontibus partæ retinens nitelæ,
Invi-

Invius tædâ Cypridis feriri;
Porrigit ſecum, nihil inquinata
Ad usq; cælum Lilia.
Dive, Cæleſtûm tuba Sanctionum,
Fortis impreſſæ monitor ſalutis;
Tu reſes pectus, vehementiori
Hortator igne percute.
Dive! Tu noſtrum jecur, implicatis
Expedi noxis. Docilis Magiſtro
Regis exemplo, maculoſa diſcam
Horrere monſtra criminum.

ÆDES

ÆDES SACRA
Divi STANISLAI KOSTKA
Vitæ Symbolis
A D O R N A T A.

I.

Dum utero concipitur Stanislaus; Nomen JESU, magna radiorum luce, in pectore Matris conſpicuum apparuit.

Symbolum.

Parelia Solis in nube.

Lem: *Sidus ſidere conſtat.*

Manilius.

SOlis nacta jubar nubes paritura gemellum,
 Dat Socium Phæbo nobilitata Parens.
Sidere fundatur ſidus, ſeſeq; figurat,
 Et proprio Titan ſtemmate ſignat opus.

Nobilior

Nobilior Lucina Tuos, Koſtka, extulit ortus;
 Quem cælo geniti Nominis umbo notat.
Flamma, ſigillarem radiis pingentibus orbem,
 Corpora Divino percutit alma typo.
Quò Tibi Majorum Ceræ? quò tæda vetuſti
 Sāgvinis? à SummoNumine ſtemma rapis.

II.

In Lucem effuſus infans, rubeis, toto corpore, Crucibus coopertus, ac inſignitus apparuit.

Bartoli.

Symbolum.

In officina argentaria, nummorum, magna copia funditur, quos Philippeos, vulgò Cruciferos appellant.

Lem: *Stigma valoris.*

PErcuſſi crucibus, regale numiſma, Philippi,
 Amplificant fiſci divitioris opes.
Creſcit amor numi, quantùm Cruce copia creſcit
 Plùsq; auro, appreſſum Stigma, valoris habet.
InfantemKoſtkam, ſibi quanti penditOlympus;
 Fuſa ſuper Nati pelle, moneta docet.

 Eſt

Eſt crucibus locuples: ſed avara eſt cura peculî!
 Cura peculatûs eſt puer iſte polo.
Signatum æs, ſignatum æraria fenus opimat:
 Sic natus, pretium, Koſtulus omne tulit.

III.

Feſcenninis jocis aure ſaucia, puer Angelicus, ſenſibus alienatus, in deliquium labitur.

Symbolum.

Columba, ad ſonitum accipitris circumvolitantis, metu exanimata, ſe in abditum præcipitat.

Lem: *Terretur minimo.*

Ovidius.

MEnſales, ut verba, ſales, inimica pudori
 Peligni dapibus ſuccinuere proci;
Protinus exanimis, propiorq; ſilentibus Umbris
 Linquitur, & terram pondere Koſtka ferit.
Sic, ſonitu pennæ accipitris, tremefacta columba;
 Sic quatitur, gallo turpè canente, Leo.
Sic reſpiranti ſuccumbunt Lilia Coro:
 Sic fumo afflatæ commoriuntur apes.

Sic

Sic minimo ſpeculi vaneſcit vita vapore:
 Sarmaticæ Zephyris ſic tepuere nives. (varɔ!
Quàm tener ingenio pudor eſt! quàm mortis a-
 Delicium Superûm Koſtka, lepore cadit.

IV.

Cruda in ſui ſupplicium pueritia Stanislai, vigiliis, ciliciis, flagellis, in ſe animadvertit.

Symbolum.

Roſæ punicæ planta, ſangvine ſuffunditur.

Lem: *A lacte ſevera.*

OCcupat, à teneris, Mileſia planta cruorem:
 Hirta vepre, & multo ſangvine pota Roſa.
Puberis illecebræ rubor & rubus: orba rubeto
 Penè ſibi moritur; functa rubore, perit.
Punica vult pungi: ſervat pudibunda ſeveram:
 Suppliciiq; ſui purpura, ſummus honor.
Quid jam pervigilē miramur in aſpera Koſtkam?
 Lactea flagrator pingere terga ſitit?
Flos erat Elyſii: florem ſeges haſtica nutrit:
 Murice pro tanto, ſpicula nulla ſatìs.

V.

V.

A Paulo majore natu Fratre, dirè exagitatus, percussorem, mirâ sustinet modestiâ.

Symbolum.

Malleus Super incudem.

Lem: *A Fratre, tot ictus.*

ICtibus assiduis dum vapulat, oblatrat incus:
  Sævitiem fratris seditiosa pati.
Nec plagis livere dolet, quas irrogat alter;
  Quas subit à duro saucia fratre, dolet.
Verbera Dive subis: alapas dat ferreus ultor,
  Nec lacrymabundo murmure plaga fremit.
Vel Tu ferreus es; vel ferro immanior ille,
  In cute cûi Fratris ludere, ludus erat.
Sunt, alter feriendo, alter tolerando, gemelli:
  Duritiâ sese composuere pares.
Sed vinci Te Paule reor, te cedere Fratri:
  Est major patiens; qui ferit, ille minor

VI.

Viennæ, morbo letali prostratꝰ, dæmonē, specie Cerberi, assiliētē, fugat, Cruce manꝰ formatâ.

Symbo-

Symbolum.

Molam pneumaticam, à vento rotatam, canis, è vestigio, assultat, & allatrat.

Lem: *Non impune duellum.*

PNeumate Crux animata, leves diverberat au-
  Improbus assultat stridula signa canis. (ras
Non impunè salit; subeuntem, mobilis ala
  Trudit, & impactæ submovet ense Crucis.
Non aliter Lechicus certat puer: àére ductam
  Fabricat ungve Crucem; Styx cane pejùs abit
Dextera quid peraget? digitus si fulminat Orcū:
  In dextræ Spolium labitur ipse Tonans.

2.

Cerbere, lāgventem petis Hectora: vincere turpè
  Turpius est vinci debiliore volâ: (fert;
Pugnatur; Stygiumq; canem infans condylus au-
  Nunquid ab invalido pollice sica sapit?
Fortior imbellis virtus, Acheronte sagato,
  Ungviculi motu deside, castra fugat.

VII.

Deipara Virgo, puerum Jesum deponit in lectulum, ex morbo decumbentis Stanislai, eumq; à Medicis depositum, sanat.

 Symbo-

Symbolum.

Arbore defluentes uvæ, herinacei dorſo inſident.

Lem: *Dulci pondere convaluit.*

FOrtè laboranti ne deſit numen Echino;
Porrigit acclinem commoda pomus opem.
Hìc nactus bona mala, gerarius induit uvam
Harpago, delicii ferculus (*) ipſe ſui.
Pondere convaluit: teneris vectata verutis
Sarcina, dulcè levat vivificatq; vehem.
Plùs cepere Tuæ langventis Koſtka pharetræ:
Plùs amor in Cæli munere fortis ovat.
Dat fructum Jeſſæa ſuum Tibi Virga ferendum:
Bajula Phryxæi velleris ulna fuit.
Numinis Unigenæ Gero, jam Te porrige Cælos
Qui poteras cubito ſuſtinuiſſe? vales!

VIII.

Ab eadem Virgine Deipara monetur æger, ut in Societatem JESU ſe recipiat.

Symbo-

(*) *Cicero, Simulacrorum, in Supplicationibus, geſtatores, vocat Pomparum ferculos.* Vide Nizolium.

Symbolum.

Cynoſuræ ſignum cæleſte, versùs quod flectente pyxide nautica, ſolvit littore Oneraria. L. *Fuge littus avarum.* Virgil.

TE propter, pelagũ; te propter, temnimus orbẽ
Axe poli viſo Sidere, vector ait.
Ite Lares patrii: terræq; urbesq; recedant:
Hortatrix Helice monſtrat adire polum.
Inſidias ponti fugere, & telluris avaræ
Una monet: reddit portubus una ratem.
Talis Koſtka Tuã moderans Cynoſura phaſellũ
Ad Socium JESUM, Vela Maria trahit.
Perge, fremant barathri furiæ licèt, atq; Penatûm
Hac Duce, vel cælum ſemiſopitus adis.

IX.

In fugam ſe accingens Divus Stanislaus, togam prætextam abjicit.

Symbolum.

Margaritum teſtâ exuitur.

L. *Oſtendit pretium ſui.*

UNio, depoſito Conchæ livore, venuſtus
Oſtendit pretium divitiasq; ſui. Ab-

Abdicat induvias, nudus Lare, carne revulſus:
Totum hoc, ſe præter, quid niſi teſta fuit?
Nunc aurum, nunc regna meret viduata caducis
Gemma bonis, carâ prædita pauperie.
Corpore, Sidonium, ſpoliato, projicit Oſtrum,
Sarmatici candens Unio Koſtka poli.
Sed nil mundus habet nudo pretioſius illo:
Vile Tagus, vilis Purpura, vile thronus.
Dic, quid nudus emet? mercatur Regna Tonãtis
Jam, niſi ſe dederit; par dedit ille nihil.

X.

Ad peregrinationem ineundam comparatus, paupere habitu ſe induit.

Symbolum.

Vexillũ militare, ſacco, ſeu ſcorteâ præligatũ.
L. *Nobile, pera tegit.*

GAuſapinâ mutans Tyrios Stanslaus amictus,
Contemptorẽ animũ, vix bene pelle tenet.
Ruſtica tela artus; humeros ſed ſcortea veſtit:
Quid ſapit ingenii, ſpontè miſellus homo?
Tecta placet virtus: ſic gemmam ſervat aluta:
Sic labarum bellis nobile, pera tegit.
Dulce,

Dulce, latens probitas! dulcis loculoſa crumena:
Vaginæ ferrum prælia dulce probant.
Gaza puer Cæli es: gazam ne prædo laceſſat;
I! bene centoni perfuga credis iter.

XI.

Deprehenſus Stanislaus in fuga, non agnoſcitur. Viſus enim eſt ſpecie ſenectæ ætatis præcanus.

Symbolum.

Fluvius, per cataractas eluctatus, ſpumeſcit.
Lemm: *Canuit effugio.*

PRæcipiti torrente fugam dum corripit amnis;
Induit albentem truſilis unda comam.
Creſcit anhelanti, gelidæ ſinuatio plumæ:
Et ſimulat canas percita lympha nives.
Sarmaticus Puer eſt torrentior amne caduco,
Quando profanatam temnere pugnat humũ.
Ergò celer celeres duxit pueritia canos:
Ut petit unda ſalum; ſic fugit ille ſolum.
O quàm difficile eſt ſcopulos evadere mundi!
Hæc valuit Puerum reddere cura ſenem.

2

2.

Ad Paulum persequentem.

Quem sequeris, quē Paule citas, fert crineSenatū
Objicit aspectu squalidiore Patres,
Consule se plenus: barbam cave Paule lacessas!
Nam capiere prior: callida cana fuga est!

3.

Kostule, cepisti senii fugitivus honores:
Hæc fuga Te Patriæ promovet esse Patrem.

XII.

Declinans insecutionē Fratris, torrentē vado insuperabilē, sicco pede transcurrit Stanislaus.

Symbolum.

Testa, pueri manu, strictim per undas librata, fluvium calcando superat.

L. *Dedit impetus alas.*

Quas natura negat, projectio strenua vires
Colligit; & fortes impetus ipse facit.
Ecce ferit liquidas lapis immersabilis undas:
Perq; Thetim, solido tramite, carpit iter:
Aliger impulsu. Majore sed impete Kostka
Se per inoffensas ejaculatur aquas.
Cor

Cor funda est, jaculator amor, sed Kostka lapillus;
Viribus his par est transvolitare polos.
Scilicet, ad Superos, velis remisq; ruentem
Perdere quæ properant, plùs inimica juvant.

XIII.

A Sancto Custode Angelo, specie visibili anteambulonis, Dilingam perducitur.

Symbolum.

Cygnum, super aquas prænatantem, alter Cygnus, ponè consequitur.

L. *Frater, nè desere Fratrem.*
Ovidius.

Fluctibus in mediis, sese comitantur olores:
Alteriusq; legit, promovet alter iter.
Dos nivis allectat: formæ admulcentur amore:
Quiq; trahit, trahitur virginitate pari.
Auspicium nivei conspirat in Alitis, ales:
Se geminum in lymphis, in socioq; bibit.
Lechiadæ Pueri non falsa viantis imago hæc:
Est comes aligeri concolor ille ducis.
Si Genium spectas? Fratrûm tam gratia rara est;
Si Kostkam? Angelici forma gemella chori.
Exer-

Exerrantq; oculi, vitato errore viarum:
Ambo præire putant ſe ſibi; & ambo ſequi.
Non errant. Bis Koſtka fuit, bis Spiritus Ales:
Hic luce àërei corporis; ille ſui.

XIV.

Dilingæ in Contubernio, mediaſtini Perſonam gerit.

Symbolum.

Equus in Stadiodromo, circa obeliſcum, majores minoresq; gyros currere docetur.

L. *Nobilis obſequio.*

NObilior Ducibusq; celes Martiq; ferendo,
Obſequio docilem librat in orbe pedem.
Strenua formatur virtus exercita vili,
Inq; pigro diſcit pulvere, bella pati.
Koſtka quid indignos pigeat Te ferre labores?
Ultima qui tentat, calle ſuprema petit.
Cyllaron exercent, ad gymnica, ſerta palæſtræ:
Koſtka, abjecta ſubis munia? Nobilis es.

2.

Hoc licuit? Stirpis generoſæ arceſſere fronti
Servilem, poſita nobilitate, notam?
Et li-

Et libet, & fas eſt, quod lex mihi libera dictat.
Koſtka ait. A patrio degener eſtnè polo?

XV.

Tandem, poſt tot itinera, Romam, pedeſter attigit Stanislaus.

Symbolum.

Circinus in orbem ducitur.

L. *Orbe peragrato, centrum tulit.*

UT centrum inveniã, totum pede metior orbẽ
Si reperi? eſt tanti pervagus orbe labor.
In puncto pretioſa quies. Quem ſpira fatigat,
Huc ruat, huc, mundi quem rota perpes agit.
Dixit, aut poterat peragrans dixiſſe videri
Circinus, & Latii Koſtka ſititor agri.
Ille, per Annibalis divortia dura, per Alpes
Tendit Aventino figere Signa jugo.
O! mora, quàm fueris Koſtcæ violenta volucri!
Cûi cyfra eſt, mundi machina; Roma polus.
Sarmaticũ pulchro juvenẽ Numa cinge triũpho:
Terrarum everſo limite, victor adeſt.

XVI.

A Sancto Franciſco, Borgia in Societatem JESU Romæ adſcribitur.

Symbo-

Symbolum.

Aquila, pullum ad Solem probatum, nido reponit.

L. *Digna Patris gremiô.*

Claudia.

PHæbæum ciliîs quæ potat hiantibus ignem,
Inter patritas hanc Jovis ales habet.
Digna Patris gremio, quæ jam Titana laceſſit,
Quæ ſoboles aciem, lampade ſolis alit.
Sic exploratum peregrino Sole Polonum
Dux tulit, & Patrio Borgia corde fovet.
Eſt pupilla puer, flammæ cæleſtis alumna:
Pupillam agnoſcit Borgia, amatq; ſuam.

2.

Qui Ducis & Regni titulos, cum Murice merſit
Borgia, non Koſtkam ſcriberet ipſe volens?
Naufragio damnavit opes ac ſtemmata Koſtka:
Germanam ſobolem, damna gemella creant.

XVII.

In Tyrocinio, Stanislai orantis facies, perſæpè inflammari ac radiare viſa eſt.

Symbo-

Symbolum.

Nimbus vitreus rotundus, croceo liquore infuſus, quales altaribus illuminandis adhibentur, cui lampas celatim appoſita, ſpeciem coruſcantis vultus exhibet.

L. *Irradiat vultum pietas.*

IGnibus occultis, vitreus præfulgurat orbis:
Puniceusq; ipſis æſtuat ardor aquis,
Mitibus exundans radiis. Hic vultus ab Ara eſt:
Splendorem pietas, Veſtaq; feſta dedit.
Par Koſtcæ orantis præcordia combibit æſtus:
Neſcia celato fomite flamma tegi,
Erumpit radiis, ſeſeq; expectorat ore:
Mortaliſq; ardet Cælite Koſtka genâ.
Quid rari eſt? Cor tæda fuit de Virgine cera:
Quidni Virgineum bulliat ore jubar?

XVIII.

Qui oranti Stanislao ſtudiosè contigui, juxtà erant Socii; illis dulcedinem fervoremq; orandi, ac vim lacrymarum communicabat.

Symbo-

Symbolum.

Fornacula Chimica, à qua plures vitreæ pendent cucurbitæ, & guttatim calidiſſimi vaporis rore implentur.

L. *Erogat admotis.*

Æſtifero clibanus ſatur intima flabra calore,
Non inteſtini ſat capit ignis opes.
Erogat admotis lacrymas, quibus uritur ipſe:
Divitiasq; ſuas proxima vaſa bibunt.
Protinus eſſe foco, ſociæ eſt fortuna ſitellæ:
Arida quòd ſudent balnea; teſtus agit.
Qui Stanislao ſe compoſuere precanti,
Igne cor, & lacrymis corripuere genas.
Non mirum eſt igni citò concaluiſſe propinquos
Sed plorabundi gurgitis unde latex?
Hæc fornax, Euripus erat, vel Nilus amoris:
Hinc latè irriguo viſceris imbre ſalit.

XIX.

Tanto in Deum accendebatur amore; ut pectoris ejus ardor frigidâ fuerit temperandus.

Symbo-

Symbolum.

Ætna Siciliæ mons æſtuoſiſſimus, depluentibus magnâ copiâ nivibus undequaq; coopertus.

L. *Scit nivibus ſervare fidem.*
Claudian.

Depluat omnigenas licèt agglomeretq; pruinas,
Ætnâ injecta ſuper non labefactat Hyems.
Eſt nivium patiens: ardori commodat algor:
Intenditq; truces bruma propinqua focos.
Per paradoxa novo præcordia carpitur igni:
Frigoribus gliſcit fomes, & eſca nive.
Quis deflagrantis ſataget compeſcere Koſtcæ
Pectoris illecebræ pabula fonte morans?
Cælitus illapſi correpta incendia torris
Imbelles fruſtra percutietis aquæ.
Irritata furet graviore uſtrina Veſevo,
Creſcet & appoſito ſaucia flamma gelu.
Conflagret! hoc votum eſt, pro flumine, fulmen amanti:
Quiſquis amas Koſtcæ parcere, parce febri!

XX.

Miſſiones Indiarum Novitus meditatur.

Symbo-

Symbolum.

Fonti pellucido, ſcrupulus perpendiculariter injectus, motâ aquâ, plurimos orbes & circulos molitur.

L. *Parturit innumeros.*

Claudian:

QUidnon alta manus tentat ſuſpēſa profundo:
Quàm bellè omnivolæ factitat artis opus!
Circuitus aliis alios locupletat: & orbes.
Innumeros, voti compote mole, parit.
Quis labor hæc fabricat? fixæ meditatio mentis,
Cûi mundi viſa eſt orbita parva nimis.
Sarmatici juvenis voti faſtigia cerno:
Sanctior hic Macedo, non ſatìs orbis habet.
Indefinitas meditatur currere zonas,
Optat & immenſo ducere bella globo.
Aſtra date o! Superi! Capiant niſi protinus aſtra
Hanc animam? mundi machina non capiet.

XXI.

Brevi novem menſium ſpatio, perfecta Sanctitate maturuit.

Sym-

Symbolum.

Melopeponem meridiano ſoli expoſitum, nola vitrea circumdat.

L. *Spernit noviſſe ſenectam.*

Silius Ital.

MAturat nimio, præcox pepo, Sole juventam;
Seq; citus, clauſis æſtibus, usq; fugit.
Tempore non curſum taxat, ſed vita calore:
Et primo autumnum porrigit herba ſatu.
Spernitur extremâ vetulum marcere ſenectâ:
Eſt pretium primo reddere vere ſenem.
Sic bene luſtra citat Saturnia, Tiro Polonus;
Neſtora ſurgenti prægrediturq; face.
Secula per menſes, annos metit ille per horas:
Et centum ſoles occupat una dies. (ſta;
Quem Te Koſtka vocē? tenerū brevis uſſit ari-
Sed ſenio poſt ſe grande reliquit iter!
Dicite grandævum Juvenem, impubēq; Senectā,
Unus mundi ævum corripit omne Puer.

XXII.

Supplici libello à Deipara Virgine mori poſtulat, & impetrat.

 Sym-

Symbolum.

Pullum aviculæ, cum nido captum, & caveæ inclusum, supervolans mater visitat.

L. *Eripe, sis Mater.*

UT, Lare captivo, deflet sua vincla catastus
Pipio sidereæ natio parta plagæ;
Sic Stanislaus miserandæ ergastula vitæ
Tædulus occentu collacrymante luit.
Actutùm Volucris cælo flagrat ire patenti;
Et Lechicus cælos transiliisse Puer.
Eripe, sis Mater! conclamat pullus alumnæ;
Eripe Diva Parens, sis mihi! Kostka gemit.
Par fortuna duûm; sed dispar optio voti:
Poscit avis solvi raptibus; Iste capi.
Nè dubita: rapieris amans, capieris Olympo:
Fecit amor volucrem; licia tendet amor.

XXIII.

Divini amoris magìs, quàm febrium calore consumptus, agit animam.

Symbolum.

Lampas ardens, oleo immodicè affuso, exstingvitur. L. *Perit nimio.*

VEscitur, & tabet vehementi lampas olivo:
Ardendiq; febrim pabula nulla domant.
Fervere jugis amat, semperq; sub igne perire,
Et facibus nullis exsaturare famem.
Tandē dulce jubar, naphtæ mersante charybdi,
Occidit, inq; auras vita suavis abit.
Aût Kostcæ; aût nullos expingit lampas amores:
Arsit in immensum Kostka vorago Deum;
Sed superaggestis impar fuit ignibus ignis:
Flammaq; majori concidit icta foco.
Parce! perit nimio! Quin sic vitam integer haurit
Nam, quem demoritur, totus in hunc abiit.

XXIV.

Die & horâ Assumptæ in Cælum Virginis Deiparæ, pro voto suo, moritur.

Symbolum.

Examen Apum, Regem comitatur.

L. *Fert decus, esse comes.*

NOn humilis Sectatur apum fortuna Juventā:
Reginæ impendent ponè corona sequax.
Fert decus, esse comes: certant superare sequelâ
Quis prior ad pompam centuriamq; venit?
Virgineæ Matris melior Stanslàé melissa,
Hæc, Te, regna poli, non comitante, subit?

Evolat augusto Puer associatus honori:
Et comes asseclæ permeat alta globi.
Si gremium Magnæ complectereKostka Parētis?
Quis Te, quis fato succubuisse ferat?
Mors sine morte fuit,talem celebrâsse triumphū;
Mors Tibi, quem sine Te trāsabiisse,foret.

XXV.

Eâdem extremi Spiritûs horâ, ostenditur Sociis, Cælum adiisse.

Symbolum.

Pyrobolus, medio cælo, in stellatos ignes resolvitur. L. *Vitam componit in astris.*

MIssilis igniti cælo se gloria tollit:
Exarsisse putes ambitione poli.
Solvitur, & mediis vitam componit in astris:
Inq; novas stellas prodigus hospes abit.
(Olympum,
Quem sublimè, tener quem Kostka ardebat
Altùm eluctatam ponit in hoc animam:
Sidereumq; suo fulgore statuminat orbem:
Exspirâsse, polos exsuperâsse fuit.
Sic decet,ut propriam fax occupet ignea sphærās
Sidera perrumpit Kostka: quid? Ignis erat.

XXVI.

XXVI.

Primus ante omnes Soc: JESU Sanctós, à Clemēte VIII. Pontif:titulum Beati obtinuit.

Symbolum.

Stella Phosphori, appetente aurorâ, sublimior. L. *Præcurrere digna Parentem.*

EOi nondum Solis, nec Solis Iberi,
Lojolæ undârunt Xaveriiq; faces;
Kostka repentinam porrexit Lampada cælo;
Purpureus croceum Lucifer ante diem.
Utq; solet Phæbum prævertere stella Parentem,
Magna, docens, radii quæ sit origo sui;
Sic matutinus procurrit Kostka Satelles,
Lux nova flammigeri pars aliquanta Patris,
Quàm nimium Lojola jubar diffudit Olympo?
Qui doceat, Kostcæ est anticipantis honor.
Ex primo igniculo,Cantabri Hyperionis astrum
Discimus: in tanto cernitur ungve Gigas!

XXVII.

Turcâ Poloniam bello invadente, Caput D Stanislai, Româ, in Poloniam, deductum est: & mox Osmannes, Portæ Ottomanicæ Tyrannus, ad Chotimum, feliciter profligatur.

Symbolum.

Arietis bellici machina, portam ferream & muros, petauro dissipat.

L. *Sub capitis virtute jacent.*

SArmatiæ Cives, Martis genus, arma citate!
Approperat muris Annibal; arma tonent:
Nemo suum pluris faciat caput, objice Thraco:
Turcica, ni sapitis, Porta tricorpor erit.
Prosiliunt, animæ fortis gens prodiga, Lechi:
Unum pro cunctis opposuere Sagum, (dos,
Kostkanū, proGēte, Caput. Labat omnis (*a*) Aby-
Ut percussa frequenti arjete porta reses
Sub capitis virtute jacet. Cane prælia! Kostkam
Eversorem Asiæ, thure Polone cole.
Pro Patria jugulum Ille vovet. Sic tiro triūphat!
Sic non imbellis Pugio militiæ!
Lojolæ ingenio tenerùm illita Sarmatis ætas,
Quàmlibet in cælo degat, in arma ruet.

XXVIII.

Quo tempore fractus Osmannes, pacis conditiones à Polonis postulat, & accipit; visus est curru & equis niveis, per àëra, versùs Chotinum devehi Stanislaus, Sanctissimæ Virgini & Puero JESU, pro Polonia, Supplex:

(a) Abydos urbs Asiæ ad Bosphorum Thraciæ, in faucibus angusti maris, Asiam ab Europa dividentis, quam è regione respicit Sestos; & quasi portā Asiæ cōstituunt: à qua Imperiū Turcicū vocatur: Porta Ottomanica, & Turcæ Abydeni.

Symbolum.

Globus ferreus, artificiosis ignibus fetus (Gallis *la Bombe*) libratur in àëra.

L. *Ad fulmina vimq; tonanti.* Manili:

FEta odiis trucibus, multoq; Pyracmone corpꝰ
Condita, quid faciet machina nacta polum?
Conteret Encelados: ad fulmina vimq; tonandi
Porrigitur: Danaûm castra revellet humo.
Ite Lycaonii tentoria dira Tyranni!
In vos, Kostka Puer, fulmen ab axe librat.
Provehitur Matris medius teneriq; Tonantis:
Supplicium in Thracas, supplicis ora trahunt.
Arma triumphali Puero componite Lechi!
Ante tubam, niveis victor anhelat equis.
Tunc rota Fortunæ curru pendebat ab uno;
Hinc Turcæ exitium; Lechidis inde salus.
Prævaluit, palmamq; tulit, pro Gente (*b*) Camillꝰ
Romam alter; (*c*) Patriam condidit Iste suam.

XXIX.

Imagines Divi Stanislai, prodigiosis lacrymis, imminentem Regno calamitatem, visæ sunt pluries præmonstrâsse.

Symbo-

(b) Camillos appellabant impuberes pueros in Sacris ministros. *Vide Calepinum.* (c) Romamq; Camillus Servando posuit. *Manilius.*

Symbolum.

Montes, sereno Cælo, fumantes.

L. *Turbida portendunt.*

QUid caput obnubit tristi Acroceraunia fumo?
Cælestes humeros non decet atra dies.
Turbida portendunt, terræq; jocantis aprica
Otia, fatidico turbine flenda monent.
Quæ grando impendet, quæ fulmina Jupiter urat:
Omne vaporoso numen Atlante leges.
Et legit, & pallet Kostcæ rea Lechias Ore,
Mæsta parentantis quæ mala mala ferat?
Ille, Supercilii nimbo, funesta profari,
Tectaq; roranti prodere fata oculo,
Prævisa ut vites. Mox tersit lacryma luctum:
Et complacato Numine, suda gena est.
O! Lechiæ excubitor, Divinæ proditor iræ!
Quàm bellè Patriam proditione juvas!

XXX.

Pomum, Sacris Divi Kostka reliquiis contrectatum comedens juvenis, capitis damnatus Lublini; mortem, in ferali arena, miraculo evasit: ter ictus gladio, ter illæsus.

Flores

Flores verò Sacris Divi cineribus pertersi, plurimorum morbis saluti exstitere.

Symbolum.

Magnetis affrictu, ferrum acquirit virtutem Magneticam.

L. *Virtutem tacta reportant:*

PRodigii vim, tacta creat Magnesia gemma:
Mira patrat tactæ conscia cautis acus.
Hoc flores, hoc Kostka Tuo de Corpore ducunt
Poma. Nequit pastam sica ferire gulam:
Qui pomum admordit, gladios & funera vicit;
Qui florem; in barathrum spicula mortis agit.
Si tam præsentem Tua dat Pomona salutem?
Escæ quis Te ajat traducis esse pyrum?
Si mortem exturbant Paradisi gratia flores?
Labe quis afflatum Te reputabit Adæ?

Epigram-

Epigrammata Selectiora.

Feſto Conſecrationis in Epiſcopum Hebronẽſẽ Rdiſſimi Dñi SAMUELIS GŁOWINSKI, *Suffraganei Leopolienſis, die 2. Maji 1734. Dominicâ, quam vocant: in Albis. Inſigne Proſapiæ, ſunt Scamilli, terno aſcenſu porrecti; & Columnæ loco, ſurgit Lilium. Denominationem habet à figurâ Latrunculorum turritâ,* Roch: *Sive Columna.*

1.

TEmpore, quo veris carpuntur munera, flores,
Invaſere Tuam Pilea Sacra comam.
Si primo Violas Majo; ſi vere tyaram
Induis? æſtatem ferre galerus avet.
Quid feret Autumnus? Rubro pluet uvidus Oſtro:
Induvias Petri cana ſubibit hyems.

2.

Sunt, qui conſpicuo texunt adamante Tyaram:
Divite, ſunt, Cydarim qui liniere Tago:
Sed Ti-

Sed Tibi Præſuleam Majalia Sidera Mitram,
Et nexæ violis compoſuere Roſæ.
Quid dicam? Si tantus honor Tibi porrigit herbam!
Ver Tibi ſplendidius Purpureumq; ferit.

3.

Urbs orientis Hebron Magno reptata Joanni,
Perdita tota, optat Præſulis eſſe ſui
Sed Roxolani levat Urbs ſua vota Leonis;
Et Te Pontificem geſtit habere ſuum.
Sufficis auroræ pariter, noſtroq; Trioni:
Ut Tibi Sol oriens occiduusq; cadat.

4.

Lilia Cyaneum referunt, Te Præſule, florem:
Qui ferrugineo ſtamine veſtit Herum.
Lilia, quis credat? violæ ſuffuſa rubore,
Indelibatas deſeruiſſe nives?
Nequicquam violavit honor, de Stemmate, Lucis,
Candorem eripiet nam Tibi nullus honor.

5.

Mira loquar! Quæ fers argentea Lilia ceris
Præſul, in hæc violæ ſe penetravit odor.
Nec ſatis hoc: Tituli redolent majoris Honorem,
Purpureas ſpirant, os humeroſq; roſas.

6.

Te veſtit Vittatus honor; floralia terras:
Teſqua canunt, gemmant arbuta; gleba ſalit.
Carpit apis, volucriſq; thymos. Antiſtite gaudent,
Qui Florentinos Ambroſioſq; animat.

7:

7.

Promit Hebron violas, Roch lilia, serta tyaras;
Vina meret Tyrium, digna Curule; Jubar.
Omnis Aristippum color addecet. Omne redundat
Florilegum nectar, Præsul, ab Ore Tuo.

8.

Ne Tyrocinio peccet Fortuna; Tyaris
Usq; Palæstinis, tempora Vestra premit.
Grande rudimentum, magni est Sorbona theatri:
Prima gigantæas Infula ferre docet.

9.

Quid Tu consuleres Delphos, foliumq; Sibillæ,
Præsuleamnè foret Frons habitura Mitram?
Diceris à cunis Samuel. A Lacte proinde
Ipse Propheta Tui, Præsul, honoris eras.

10.

Effulsit niveis hodie lux festa quadrigis:
Pontificiq; cadunt alba ligustra suo.
Debuit esse dies candore notabilis ipso,
Gemma Sacerdotum, cùm diadema subis.

Salutatio.

Celsissimi Principis DUCIS CZARTORYSCII,

Terrarum Russiæ Palatini: dum cohonestando funeri Illmi Dñi Załuscii Palatini Płocensis; affulsit Jaroslaviæ Mense Januario Anni 1736. pro tunc hyeme calida.

1.

FUnereos luctus, viduam sessore Curulem,
Atq; Palatinos flevimus usq; rogos.
Sed ne continuo succumbat palpebra nimbo,
Ne terat in longum præfica dira genas:
Tu prohibes, nubemq; abigis. Nam repperit in Te
Mille Palatinos Lechia, mille Duces.

2.

Copia lætitiæ per compita; perq; penates
Funditur: & vernans Hospite risit hyems.
Triste gelu fugitat, canæ tepuere pruinæ;
Terra salit præcox promere Veris opes.
Principis occursu quidni se recreet aura:
Qui Regno exturbat turbida fata, manu.

3.

Cursibus annorum reserat Cunabula Janus,
Auspiciumq; sui proxima Luna docet.
Sed nihil astra moror, quid sidera læva minentur?
Jupiter aût Mars quid? Mercuriusvè ferat?
Principium seriemq; Anni, de Principe vultu
Discimus. Hoc astrum candida lustra creat.

4.

Insigne Prosapiæ Ducalis est Pogonia; *hoc est; Eques Cataphractus.*

Pægasei laticis nulli sapit ungula Vati:
Tangere quisq; sitit frena Ducalis Equi.
Et Tanaim, tumidumq; Tyram, tranare veredo
Alite fert: tanta est gloria Martis Equi.
Nec votum insanit. Nam Czartoryscius Heros
Prodigiis operum, trans mare currit iter.

In Fe-

In Festum Natale.

Jllmi Dni STEPHANI *Junosza* HUMIECKI,
Palatini Terrarum Podoliæ.

1.

SAxea tempestas, Stephani quæ pertudit artus,
Nescio, quo lapidum semine lecta fuit.
Dixero Magnetem? ferrum trahit iste cruentum:
Dixero Chrysolitum? non jacit hostis opes.
Cos erat; exacuit, pro Numine, Martyris iras:
Atq; adeò Magnes, Chrysolitusq; fuit.
Ecce Palatinas laudes! aurumq; Sagumq;
Provocat, exempli cote; valore sui.

2.

Propugnaculi Camenecensis, & Castri Trojæ, Seu SSmæ Trinitatis munitionis restaurator.

Jacta manu cautes, de Martyre multa locuta est.
Usq; modò Stephani est garrula Cyrrha lapis.
Taliter Humiecki lapides facis esse disertos;
Dives & ex ipso pumice vena salit.
Cameneci nam petra, Suum Te Amphiona cantat,
Seq; Tuum melior Troja loquetur opus.
Nulla est, crede mihi, Famæ vocalior echo,
Quàm Tua, quæ docuit Saxa, stupenda loqui.

3.

Martyris, & Vestrum Lux aurea procreat ortum:
Te curis tacitum Lechidis, angor habet.
Pro Patria quàm dulce pati? Te Martyre disco:
Quem cruciant Patriæ vulnera, Martyr erit.
Sed Le-

Sed Lechiæ servata salus, bene sangvine constat:
Hæc servatori fit Stephanoma suo.

4.

Appia ducebat, saxo prostrata, triumphos:
Hâc Stephanus vehitur Victor in astra viâ.
Hoc iter Heroum est. Sit iter per saxa, per ignes:
Quid trepidas? lapidum meta, Corona Domi est.

Ad Jllustrissimum Dominum
ANTONIUM *Pilava* POTOCKI,
Palatinum Bełzensem
Festo. S. Antonii Magni 17. Januar.

1.

ABdita percoluit solus quæ Antonius antra,
Accursu populi, circulus urbis erant.
Nec sivit Magnum soli sibi turba vacare;
Nec poterant tantum condere tesqua Virum.
Eripe Te curis populi, patriæq; saluti;
Privatum faciet Te sibi nullus Honor.
Quo-Te-cunq; feres, orbis comitatur, & in Te
Sectatur Lechiam Lechia, Teq; Larem.

2.

Quærimus in senibus, magni consulta Senatûs;
Inq; Viris, magni quærimus acta viri.
Consilium, roburvè peto? depromis utrumq;
Fert magnum Antonium Curia; bella virum.

3.

Quod tandem magnum est, crevit progressibus ævi:
Magnus & Antonius, tempore Magnus erat.
A cunis Te vexit Honor: Prætexta Curulem
Attulit! Ad Magni nomina natus eras.

4.

Quem Magnum Lucina tulit, Divoq; Secundum,
Nescio, quo possit vincere summa gradu.
Tu Summa aggrederis, crescisq; Sagoq; Togâq;.
Te Superas, super ut maxima, major eas.

5.

Bruma riget, gelidasq; nives jacit hispidus æther:
Laurigerum dicet quis viruisse nemus?
Hæc facis, Antoni, nostro miracula cælo:
Te Duce, Te Patriæ milite, bruma viret.
Strata Arctos Boreis nivibus, Tibi porrigit herbam:
Belligeras hyemes herbida laurus agit.

Georgio Theologo S. J.

Libellorum, de Controversiis Fidei, Auctori.

COnficit atroci feralia monstra sarissâ,
Militiâ, & fuso sangvine Sanctus Eques.
Inde suam in cælum vehit usq; Georgius hastam:
Æternùmq; cruentâ Abjete, miles ovat.
Quantus cælo aderis? calamo quem sepia fuso
Indigeti parilem, disparilemq; facit?
Illum hastæ pondus; Te reddit arundo timendum:
Tres digitos aptas; hæresis hydra cadit.

Prælato Religioso.

Qui, Festô Inventæ Salvatoris Crucis, dignitatē adiit.

INvitum ad Fasces quòd Te provincia cepit,
Quam refugis, quereris Te reperîsse Crucem.
Crux

Crux & honor quæri fugiunt, fugientibus instant:
Te, nisi fugisses, non reperîsset honor.
Si Tibi Crux honor est? Fasces fuge semper, amamus:
Semper & assidui Præsul honoris eris.
Si Crucis auctor honor? prohibet reverentia temni:
Ne fuge! quàm Sancta est? tam redamanda, Crucem.

In Conviciatorem.

Qui Supremum Judicii decretoriæ Sententiæ, in Causa Religionis, Præsidem, eumq; Sacri Romani Imperii Principem, Carnificis titulô affecit.

VIctima tartarei barathri, saniesq; Cethegi, (*)
Principis Ausonii polluit acta probro.
Depuduit rabies cerebrô viduata: suamquè,
Induit in laqueos furcifer ipse gulam.
Quem scelus accusat? Sanctum. Quem noxia? Justum:
Sanctum ergo & Justum Carnificina canis!
Peccâsti canis oh! Princeps, celebrante cavillo,
Sanctior, octuplum Sanctior ampliùs est.

In Eundem.

Qui, S. IGNATIUM de Loyola, Lixam appellavit.

QUem tu vipereo temeras cruciarius, ore?
Fœci æquas Superos, mulio, & astra luto?
Parcite. Namq; Jovi Stygio devotus aruspex
Rumpitur, in Superos projicit exta Deos.
Rumpere colluvies: Orci exsecrata propago!
Dî Patrii tibi dent id quod es: esto sacer.
Hic sacer & nequam est? mirum! Et devotio mira:
Astra colit crebris, sed colit astra, probris.

 In Equum

(*) Cethegus Catilinariæ conspirationis Coryphæus, à Cicerone Consule captus & obtruncatus.

In Equum Caligulæ Appellatione Incitum.

Quem Consulem creari, eiq; Consulis Romani honores deferri voluit Cæsar.

Æquivocationes Pòëticæ.

1.

COnsulibus Brutis, libertas constitit Urbi:
Libertas, bruto Consule, nata redit.

2.

Omnis ager Romanus erit: flectente Senatum
Consule, cûi herbam porrigit omnis ager.

3.

Perdita res Latii, tandem temone secundo
Progreditur: quanto id numine Consul agit!

4.

Consule provehimur: qui tam bene proferet annum,
Cuncta ut curriculo prosperiore cadant.

5.

Nequitiâ positâ, celebrentur Equitia: sancit
Consul ab hippodromi pulvere conspicuus.

6.

Ausoniæ Proceres, nunc cursum intendite Famæ:
Consulis immensum gloria calcar habet.

7.

Non effreneris pubes Romana: Lupatos,
Queîs te contineat, Loraq; Consul habet.

8.

Non equitem peditemq; hostem trepidate Quirites:
Par eques, atq; pedes, prælia Consul obit.

9.

Jam Tybris Euphrati: jam frenos Albula Rheno;
Injiciet: Consul tam bene frena movet.

10.

Rarus erit, bene qui Fasces gerat atq; Secures:
Consul, ad hoc, Superûm munere, natus onus.

11.

Præter Solis equos, nihil æquiparabile Consul
Suspicit: imperium temporis ambo rotant.

12.

Quid Phàëton Pyròënta urges? da Consuli habenam,
Longiùs Ausonium differet ille diem.

13.

Consilii Consul magni est: omnem ille Curulem,
Sit licèt obluctans, in sua sensa trahet.

14.

Arbitriis concors, manibûs pedibûsq; ruebat,
Curia. Jam poterit Consule tota vehi.

15.

Marte citus, domuit terras, domuitq; Quirinus
Æquora. Plùs citus est *Incitus*. Et nec aget?

16.

Martem Roma colit: ferus est Mars sessor equiso:
Quadrupedante Orbem Consule concutiet.

17.

Roma; sitit nullo Consuli tibi dêsse triumpho:
Vel præ quadrijugis unus ovabit equis!

18.

Trojugenis fatalis equus. Tu hunc, Roma, Parentis
Inſtar habe: ex Trojæ funere, Roma ſtetit.

19.

Omnia pacis erunt: pacem lupus icit equili,
Gens, quæ matre Lupâ eſt, Præſide gaudet equo.

20.

Exoptatus adeſt Conſul ſaguloq; Togæquè,
Nulla eſt, non quæ optet Sella curulis equum.

21.

Cedant arma Togæ: dixiſti carmine Tulli,
Tulli, corrige te! dic: Toga cedat equo.

22.

Eſt Conſul ſonipes. Quid nominis induet annus?
Annus hic, Aonides plaudite, Pægaſeus!

23.

Conſulis arma canant Muſæ: quo Conſule, Muſis
Ungula dat venæ limpidioris aquam.

24.

Ungula dat venam: Conſul meditatur avenam:
Hinnilitet Clio, pectine pangat Jo!

25.

Ne Fortuna rotans ſit lubrica, quadrupes ibit
In Capitolinum Dux ſoleata jugum.

26.

Extis, Janè pater, quid haruſpex extulit? Annus,
Conſulis oſtentant ilia, ſanus erit.

27.

Sæpè Urbis Faſces, bipedum nequiſſimus ambit:
Accipiat melior gloria quadrupedum.

28.

28.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus, (*)
Non optet Faſces æmula Roma tuos?

29.

Multos Roma tulit rectores Juris & æqui:
Non tulit æquiparem, qui magìs eſſet equus.

30.

Quid mirum eſt, toties qui mandere ſvevit habenas,
Quòd ſemel Imperii frena momordit equus?

31.

Humano capiti cervicem junxit equinam, (**)
Pictor: eho! dignum Conſule pinge caput.

E T H O P Æ I A
Joviniani Cæſaris.

Argumentum.

FLorentinus Antiſtes Divus Antoninus refert, fuiſſe Chriſtianos inter Principes, Regem opulentiſſimum juxtà, ac feliciſſimum, nec magìs belli artibus, quàm pacis fructibus, beatum. Qui, dum carmen illud Marianum, quod Virgo Deum utero complexa, concinuit, decantari audit, ac intentè re-

(*) *Horatius.* (**) *Idem.*

cogitat :Reges potentissimos, Divini brachii ludum esse; Solio deturbatos, in imo destitui, cùm lubet; iterumq; cùm perplacet, abjectos & inopes, attolli ac honoribus restitui; *hæsit animo, utrum is ipse, hujus aleæ ludus fieri nequeat? ut hâc ipsâ luce, priusquàm sol oblitesceret, perfunctus omni Splendoris Satellitio, ad manticam redigatur? Sed, ubi pacatam Reipublicæ faciem, auctoratum ad omnia militem; ubi se, sibiq; devotos Cives, fiduciarios, obnoxiosq; sibi summa necessitudine Clientes circumspexit; concludit animo: tantis fortunæ præsidiis circumseptum se, extra formidinem positum esse: eâ se firmitate Solii consistere; ut repentè, momento uno, ad incitas redigi non possit. Hac opinione præoccupatum Imperatorem, Sol oriens invenit, meridianus tenuit; vergens relinquebat. Inclinabat ad occubitum dies, & brevì discessuræ fortunæ, admonuisse Principem videbatur, præcipiti lapsu. Sed hunc, experiundæ voluptatis, quam piscinis obnatantes pueri capiunt, libido incessit. Tepentes ergò Bajas ingressus, posito paludamento, omnibusq; Regis insignibus à se abdicatis, quasi jam fulgoris pertæsus, nuditatem inopiæ profiteri vellet, clàm omnibus arbitris, in oceanum natabuli se projicit: manibus pedibusq; plaudebat in illo nimis pellucidè fluxo elemẽto. Interim præstolatione, tædioq; districtis aulæ*

Comiti-

Comitibus, exspectatissimus objicit se Monarcha, Domini sui frontem, oculum, vultum, omniaq; Personæ lineamenta, atq; illum ipsum Tyriæ vestis cultum, adeò perbellè præseferens; ut omnibus fucum, nulli dubium fecerit, Principem affulsisse. Protinus igitur eburneâ Lecticâ exceptus, omni Equitum, peditumq; comitatu, urbem invehitur personatus Imperator, atq; tractandæ Reipublicæ curam ritè aggreditur. Natator verò ille, tardiùs ex Eurippo suo cæpit emergere. Adcitat Ephebos, cubiculi præfectos evocat, satellites inclamat. Cautibus loquebatur, arborùmq; surdis umbris regii nemoris. Prodit tandem è balneis benè lautus Princeps; & ecce summa ubiq; solitudo! nusquam vel Codrus apparet homuncio; sed neq; ambitiosa cultûs Imperatorii supellex. Tunc profectò frigidâ percussum vidisses, cùm circumjectis quoquoversum oculis, nihil cernit, præter temerè projectum semilaceræ, obsoletæ vestis tegillum, diversis pannis consutum. Quantis hìc cælum lamentis, fortunæ insolentiam diris impleverit? quo mentis stupore? quibus animi conflictationibus, consiliorum fluctibus, agitatus fuerit? quot illusus probris, collisus terroribus, commissus necibus? subjecta Ethopœiæ figura, oculis subjiciet. Sic in ordinem redactâ Superbiæ petulantiâ, Rex emendatus, sibiq; ac modestiæ redditus, amissis Sceptris tandem potitus est;

tus est; Angelo, Regni corrivali, qui hactenus Scenam egerat, vicarios Fasces, ac diadema resignante. De cognomine Principis non liquidò constat: In Jovinianum communis opinio consentit; ideoq; istius Nomen actioni damus. Rem pereleganti ac tersissima narratione, prolixè depingit Jacobus Bidermann Soc: J. Acroamate 6to Lib: 1.

Ex S Antonini Libro Theol: Parte 2da. tract: 3. Cap: 2. §. 4to.

Jovinianus.

TRanquilla Sceptra! pace compositi dies,
Meliorq; votis aura fortunæ, meos
Felicitat honores. Fruimur, ullis frui
Superba quantùm Solia prolubiis valent.
Hinc affluenti gurgite saliunt opes,
Inde hostium trophæa cæsorum, horridi
Extrema mundi territant: pelagus mei
Sentit pavores nominis: famulo jugo
Gentes subactæ, æraria tributis gravant,
Cervice proni Satrapæ corda immolant:
Quid cuncta numerem? nulla se placidæ negat
Lætitia Sortis. Studia civium scio:
Irent per enses, ire si Cæsar jubet.
Annuite Superi! sorte tam nitida diu
Fruar, ut perenni prospera mihi fluant vado.
Tunc ego vocanti pocula remitto Jovi:
Cœlum recuso, fructibus dives meis.
Quanquam, quid angor? hora ne rapiat brevis
Beati-

Beatitatem? vegeta dum impigro mihi
Juventa flore, spondet innumeros dies.
Tardare Soles possumus, & olidæ moram
Ponere Senectæ: roboris certè vigor,
Viridisquè jubar animi, vetat me hodie mori.
Sceptri Satelles gaza, Martis copiæ,
Ducûm probata fides, fides Clientium.
Amor timorquè populi, & Aris sanctior
Amicitia, rarum Imperantûm, sed meum,
Meumquè nonnisi præsidium: ahena est cohors
Pectoris, amici! fulcra nutantis throni!
Hos mihi creavi gratiis, honoribus,
Auro illigavi. Tanta dum Cæsaris Heri
Circumstat arcem firmitas; nullis potest
Ærumna, terebris, Solia perfodere mea.
Intaminatis cinctus Imperii bonis,
Ut maximè cupiam, esse citò nequeo miser.

Quid pervolutas Joviniane? argutulâ
Quid mente versas? tela non torquet Tonans?
Superbientûm colla non æquat luto?
Non ima summis implicat fati furor?
Te vitrea reddet Sella felicem diu?
Momenta librant pensiles Regum bases!
E Regno, ad inopem trames exiguus casam est.
Cræsum inter, Irumquè, brevis admodum mora.
Tempusquè pedis unius, & medium est: nihil.
Quos incitati Solis evigilans calor
Miratur, orbe jura proferre, & juga,
Non-

Nondum idem obustum mersit Oceano caput,
Regibus agaso, Cæsar armento imperat.
Joviniane, hodie, hodie cadere potes,
Quem feneraris, orbe, quem cohibes manu,
Hodie throno extorrem, subulcum, obolum vagum,
Scurramquè nudus indues, rerum aleam
Si, quæ cöercet, Numinis vertat manus.

Quid temero lingvam? quod malum renuntio?
Obtrecto Cæsar ipse mihi? fatum imprecor?
Meliora Superi! impunè sit temerè loqui.
Hodie cadendum est orbe, quem nutu regis?
Hodie carendum est asseclis, gazis, throno?
Audio! Quid? an fungi capita Reges sumus?
Vix fungus uno natus eruitur die.
Commenta metuo: tardiùs Reges cadunt!
Miscentur æquora sangvine, excidiis ruunt
Urbes, sepulta Imperia, sunt cadentium
Fragor Imperantûm. Ab his caput procul est meum.
Nam quæ procella? quis lacessere audeat?
Obtemperantes, Vesper, Aurora, & Notus,
Gelidusquè Boreas, fonte curvantur genu:
Et gratias pavidè colunt, & amant minas.

Præfido nimium! Non potest Procerûm sinu
Latere sica? quæ meum sitiat latus?
Si quæ tyrannis occupat Regem? potest:
Sed non, amoris quem satellitium tegit.
Pugio tyrannos haurit, & quorum impotens

Exosa feritas, exta famulantûm ebibit:
Nos, mite pectus, placida vel in hostem æquitas,
Quantùm à furore separat, tantùm à metu.
Heu! Claudianos mensa boletos parat, (*)
Aconita cyathis fortè pincerna eliquat:
Non sic amamur, Subditus quisquam ut suos
Non malit annos Cæsaris vitæ dare,
Nedum, ut propinet parricidalem urceum.
Nimis tu amori tribuis, & rebus nimis
Cæsar secundis. credulum inaperta oppriment.
Quis? quisnam? Amici? priùs animam agerent, priùs
Phlegon ab occasu hinniet, in ortum cadet.
Ita corde recubo singulorum, ipse ut meo.
Quamcunq; iniquæ Sortis ausculto vicem,
Qua feriar hodie parte? rimula nec quidem est.

Jam sol reclinem flectit in Iberos facem:
Sum Cæsar & adhuc: Sceptra nec rapuit dies.
Sed fabulosa næniis procul omina:
Ego tepentes fontium thermas peto.
Sit cæna velox: Regiam excubiæ occupent:
Prætoriana Cæsari advigilet manus.

Rege tepidariis aquis indulgente, Purpuram, balteum & armillam rapit Angelus: Os humerosq́. Regem exhibet: prodeuntem, tota aula, in Palatium comitatur.

Jovinianus.

EPhebi adeste! Cubicularii! Sagum!
Aptate Sagulum, Cæsar oceano redit.
Tarda-

(*) Claudius Cæsar, boleto medicato ab Uxore porrecto, sublatus. Boletum qualem Claudius edit, edas. *Martial:*

Tardatis? ocyùs, ocyùs date purpuram.
Ità obsecundant? perperi! trahitis moram?
Prodibo Cæsar: perditum ulciscar nefas.

Heu prodimur! heu prodimur! Regno excidi!
Ubi aula? ubi excubiæ? Duces, Proceres ubi?
Ubi trabea? ubi regilla? Ne filum quidem est!
Non ludimur: non ludimur: tragædia est.
En purpura! malè, quâ tegi pudor potest:
Penula relicta Cæsari mulonia!
Ego hâc laciniâ dominus orbis tegar?
Ego Imperator, nauticos pannos feram?
Priùs moriar! Heûs, servitia, chlamydem date!
De tot catervis, advola O pueri puer!
Nihil impetro: proditio, conjuratio est:
Quis, per Deos! quis latro? tam facilè meum
Regnum involavit? integram Procerûm fidem
Subita rebellione vertit in scelus!
Centunculumquè sordidum misero exhibet!
Subjice lacertos rustico Cæsar sago:
Pretiosa nudo est tunicula: hâc malim tegi,
Præ Sole, præ quàm frigido tantùm Jove.
Extorris, inopi membra collobio admove:
Decet jocantis Schema fortunæ indui.
Rerum potitur æmulus, Regni helluo,
Regumquè lanio, præstinans caput tuum:
Sexcenties Sestertiûm in foro vales!
Quæ victimam eripiet fuga cruentæ asciæ?
Hæc, hæc chlamydula, tuæ Salutis anchora,
Sicariam ludet aciem, & neci eximet. O Phæ-

O Phæbe, cernis? retro nec revocas equos?
Togulâ fenestratâ oblitum Imperii jubar.
Fortùna! quo me? quo meum citas caput?
Laciniosus tenebrio quod æquor petam?
Penetrabo Regiam? hoc sitit, thronum qui habet
Semel ut tyrannus sonte se expediat metu,
Omne amputabit prælium, jugulo meo.
Quid dico juguló? crucibus & flammis lues:
Tormenta operient mille vitam. Hoc, hoc dabis
Miser insolenti Cræse fortunæ lytrum.
Limina clientûm commigro? vetat pudor:
Parum est: vetat tyrannus: obsidet vias
Lictor: timorem Civibus proscriptio
Incutit: Amicos fortior superat metus.
Lare quis recipiet, igne prohibitum ac aquâ?
Aget hoc tyrannus, nulla cui citiùs movet
Hostia palatum, ut Imperator oppetens.
O Vana Regum gloria! O demens typhus!
O bulla, vapor inanis! O merum nihil.
Valete Regna, capitis ebrii sopor!
Fuge, Fuge Joviniane byssinam luem:
Æstiva Solii, fulminis pestem creant:
Sub Muricis sanie, Aspidis tabum fuge.
Antris beatior Alpium, ac throni exedrâ,
Inter ferarum lustra, sepositus agam.

Redi, redi anime! projicis Spei ratem?
Mundiquè trudis sarcinam, æmuli inscius?
Cognosce, quis te Fascibus mulctat tuis?
Quis

Quis purpuram armo decutit, Sceptrum manu?
  Nullus rebellis, nulla perfidiæ nota:
Terrâ mariquè expers Erinnyos quies.
Si castra recolo? militi inviolabilis
Calor & religio est: una Cæsaris Salus:
Provinciarum capita? Cor & oculi mei.
  Quæ perduellio Sagum, vel quæ Togam
Sufflare potuit? Fortè juratam tribum
Meos Achates, pessima ambitio rotat.
  Sic est: *tenacem jugulat ambitio fidem:*
Fidissimum nihil est, nihil sanctum, simul
Ac eminendi crista surrigit comam.
Germanitatis jura, dominandi arrogans
Lacerat phrenesis: Patris & fratrûm cruor,
Cruor nepotum, læta Phalarismi est via.
  Par frons Clientûm. Sæpè sub aperta nive
Incedit animus histrio; sub astris, hydrus.
Sub imagine benevolentiæ, improbior dolus,
Placido involucro, familiare odium premit.
  Sit ita: fideles, quos ego colui, Clytos,
Quos aucupabar muneribus, alui opibus,
Primi rebelli fecerint partes tubâ.
  Raptimne & illico? perbrevis puncti morâ?
Simul universi, ex asse, tantam struxerint
Catastrophen? Non pedisequus, non armiger,
Stipator & nec unicus sceleris piger?
Fidei absonum est. Nulla coalescit factio,
Quam non biformis scindat in partes furor.
Pars abdicant Regem; chalybe sed pars suo
Regem

Regem tuentur: acribus & in se prius
Bacchatur odiis turbo Civilis freti,
Quàm Solia vertat. *Facibus inimicis sibi*
Defectionis facinus Alecto ferit.
  Nil igitur est, quod autumamus. Ergò quid?
Holophanta callidus arma vultumq; induit
Joviniani? Scurra Personam actitat
Joviniani? Ità est: rem, opinor, tango acu.
Bene auguramur! Dignitatem oris mei
Formamq; non procul absimilem adeptus spado
Veterator, aptavit humeros Tyriæ Togæ:
Objecit aulæ palpum: & exhibet stolo
Scenam Imperantis. Ibo! vesanum caput
Ingressu in ipso porticûs, agam in crucem.
Quisquis, nefandùm! Cæsari illusit: jocum
Laqueo piabit: tinniet in ævum histrio!
Lectica Boreæ, edulium Volucris nigræ.

Regium augustale petens, à Custode pro Palatio coborte, sannis excipitur.

Jovinianus.

AGnosce vocem excubitor! advenio, peplo
  Cinctus Gabino, vester Imperii potens
Jovinianus: Rex meos repeto Lares.
Remove sudeta miles, ordinem expedi:
  Hæretis? oculum advertite in faciem: sub hoc
Non Codrus astat pallio; sed is, cui
Emancipatus orbis, ad genua cadit.
O Ride;

Ridetis? hodie corporis mei adſtites?
Ita peregrinus videor? ita noſci arduus?
Etiamnè ſannis obruimur ab his, probrum!
Ranunculis? fæci gregariæ ſumus
Ludio? ſenatum poſtulo: Proceres volo.
Noſcemur Optimatibus. Remorâ procul
Penetrare in aulam, potior eſt opera mihi,
Quàm vivere. Ite, nuncium Primoribus
Perferte: Cæſarem opperiri extra oſtium.

In Comitium Magnatûm abripitur.

Jovinianus.

Ita Principem accipitis? famula cohors? bene eſt:
Manibus meorum militum in thronum vehor.

Siſtitur in Procerûm Senaculo.

Jovinianus.

ADſum exprobrator ſceleris immaniſſimi!
Deſertus, exſors; nudus, inferiis datus,
A ſervulis Princeps, Dominus à Civibus,
Auguſtus; à calonibus. Mundi arbiter
Exterminatus Imperio, abolitus throno!
Quid hæſitatis infaceta oblivia?
Non Jovinianum agnoſcitis? Proceres mei?
Meus Senatus? Protinus Chlamydem date!
Regilla reteget, cento quem Regem abſtulit.
Quis faſcinavit Curiam totam ſtupor?
Meo in Palatio, novus videor homo?
Non vos pudet facinoris, ad calidas aquas
Luce hâc patrati? quale non ſpurium magis
Perhor-

Perhorruit Titan. Lavantem Cæſarem
Deſtituit aula. Regis induvias tulit
Morio, rotundus omnis ethologus doli.
Ille, ſub amictu Regio, mimum obtegens,
Fucum Proceribus oblinit: ſtoream mihi.
O Purpurati! Indignitas vocem opprimit!
Tantoſne biſpellio viros perfabricat?
Ubi architectus parricidii mei?
Nefariæ molitionis ubi eſt Scelus?
Solio locandus Urbico, excelſæ trabis.

Rex æmulus, Senatum ingrediens, Regiam Sedem occupat.

Jovinianus.

O! Per Deos! O aſtra! Superi! O Dii boni!
O inſolens ſpectaculum! infans viſio!
Vigilone? falſa an ecſtaſis cilia rapit?
Quænam hæc imago obtutibus inerrat meis?
Quiſnam alter ego? non cernitis? ego alter, meum
Teneo tribunal: teneor endromide ſimul.
Ipſiſſimum ego memet oculis tueor meis.
Qui regnat, ego ſum: qui excidit regnis, ego.
Adeò gemella Joviniano eſt Simia hæc.
O Judices: hæc umbra, non hominis lutum eſt!
Larvatus Imperator iſte, ab altero
Huc orbe cecidit. Trepida pavor oſſa increpat!
Neſcio quod ingens corde præcipio malum.
Fratercule, quid hìc hoſpes agis? unde es genus?
Cœlonè ab alto, Genius Imperii mei:

 An

An Styge volâſti, capitis Imperii procus?
Orciniana Simia eſt, O Judices!
Abſiſte alaſtor! Sella, quam temeras, mea eſt:
Mea Purpura, armilla eſt mea, meus balteus.

Joviniano in cuſtodiam abrepto, acerba in eum feruntur Sententiæ: Majeſtatis, conſpirationis, & affectatæ tyrannidis reus pronunciatur. Ut factionis adſtipulatores prodat, fidiculis, tabulariis, equuleo, extorquendum eſſe indicium. Exin, de exquiſito, quo excarnificandus ſit, mortis genere, deliberandum. Decretum hoc, adducto in Judicium Joviniano, per præconem obnunciatur.

Jovinianus.

EGo ad cataſtam? Ah! linquimur! rigeſcimus!
Ego ad fidiculas? Fata! citò animam, citò
Eripite miſero! moriar incolumis probri!
Quid meruit omnis vita dedecoris inops?
Quòd mea requiro Regna, flagitio datis?
Si crimen eſt, recanto: Dominumquè abdico.
Ejuro Sceptra: Purpuram efflictim execror!
Non ſum Jovinianus, fateor. Ut ut fui,
Piget fuiſſe: cruciat ipſa mentio.
Ultro abdicantem, quid juvat equuleo trahi?
Tormenta periment? id amo: citiùs deſinam
Eſſe miſer: obitis nec ero naufragiis ſupèr.
Si bene perimitis, lucis uſuram date:
In perditis ſupereſſe. felicem priùs.
Philautidis uſio leſſus eſt gravior hora:

Produ-

Productiore memet afficite nece:
Donata miſero vita, ſupplicium ultimum eſt.
Ita prorogatis morte atrocioribus
Pœnis, trophæum ſortis afflictæ feram.

Deliramenta loqui, permotæq; mentis eſſe creditur Jovinianus. Quarè, ut malè ſanum impoſtorem Lictor auià ſubmoveat, decernitur. Sed, ne Lictor virgas ſtringeret, æmuli Regis interceſſit Clementia. Qui, inter Pantomimos aulæ, adoptat Jovinianum: conſtituitq; ſuum mimicum Imperatorem.

Jovinianus.

HUc ergò recidi? O juſta Numinis bilanx!
Rex Morionum inauguror! Meritiſſimè.
Inſanientis lepida non hodie dedi
Specimina: Fortunæ febribus amens fui.
Lymphata Principum ambitio, vento ebria,
Deliria ſibi, Diis facetias ſtruit.
Sic fraudulentæ captus auſpiciis Deæ,
Dum vela tollo, folle dum tumido vehor;
Obnubilavit ſinciput, Honorum furor:
Me, fatuitate, creditis? nemo anteit.
O Frater! ignoſcat mihi Nemeſis tua:
Me utiquè parum imparem creâſti. Perge, age,
Imperia regere diſce, Polycratis omine.
A te ego ſecundus, Cæſaris Cæſar ſequax,
Ludicra poteſtas, ludibria throni, occinam.

O 3 Rex

Rex æmulus, occultè accitum Jovinianum, ob exosam arrogantiam, duriter concastigat: renunciatq;, sublati animi pœnas majores incurrisse, quàm tulerit. Humiliùs in posterum Deo subjectæ, sincerioris q; sui despicientiæ admonito, Fasces Imperii reddit: & Solio concedens, disparet.

Jovinianus.

HUc aula. Veniat Morio. Ubi? ubi vertitur
Meus ille rivalis? Citate, dicite:
Thronum occupabit. Nullus est? evanuit?
Videte, ne fortè in malam abierit crucem:
Nam crux asylum diminutæ mentis est.
Desinite. Sannio vester est, qui coràm adest.
Illud ego inops salis, & inops mentis caput,
Postquam impotenti tollor Imperio ferox;
Deo incitato, ad incita redactus; graves
Vecordis arrogantiæ pœnas dedi.
Alter ego, & alter ille Cæsar, humo abiit:
Correptionis Joviniani Actor datus,
Cælestis aulæ Principum, Princeps fuit.
Quæ stringit admiratio? quis omnes pavor?
Deo Tonanti, mecum; habete gratias,
Qui solia nutu vertit, & nutu erigit:
Qui Sceptra, dum lubet, abrogat, & offert volens:
Qui sæviendo, parcit, & miserans ferit.
Jam bene modestus, Mentis æternæ tremo
Potentiam, & Virgam. Irritum est Sceptri jubar,
Nisi fulminantis trepidet Arbitria Poli.

In Tem-

In Templa me recipio. Cordis hostiâ
Meritum piandum est. Numinis honore Optimi,
Et gratiarum Carmine, Basilicæ insonent.

Funebris
Sciuri Comploratio.

ARGUMENTUM.

NObili Adolescenti, Humaniorum Literarum studioso, Sciurus, animal bellatulum, ac leniusculum, in deliciis erat. Hunc otii sui collegam, ac omnis animi remissionis, perjucundum comitem, epulationisq; socium, dum, per Jovis ferias, in aciem camporum eduxit; majoris oblectamenti gratiâ, bestiolam liberè spaciari, grassariq; dimisit. Degustata libertate lætum animans, mira agilitate, exultationeq; non se magis, quàm Dominum, exhilarabat. Etenim, nunc Dædaleo impetu, tanquam fugitivus desertor, se ab oculis alumni sui longissimè submovet; nunc in morem Scythici equitatûs, circumcursare, velitarem pugnam moliri,

 & qua-

& quasi insidiator, ex improviso allabi; mox quasi viritim dimicaturus provocator, hostem lacessere, tandem, ceu victima, pedibus advolvi, libare oscreas, crura obligare. Veniam irarum, defectionisq; impunitatem postulare putaveris. Adolescentem interim, nescio quod aliud avocamentum distrinxerat: quo pellectus, dum se temerè proripit, Sciurum calcibus oberrantem, fœdè conculcat, ac obterit. Tragicum adeò fatum, ærumnosamq; miseri Adolescentis, ex Sciuri internecione, fortunam, nemo deflere satis dignè valuit, nemo carmine effingere, præterquam is ipse, tam altâ doloris plagâ confossus Poëta, ut eum suis cum deliciis contrucidatum, enectumq; crederes. Præbeamus aurem sui funeris Cantatori.

E L E G I A.

FAta fleo, Scythicos emollitura tyrannos:
Fata, quibus Parcas illacrymâsse reor.
Et nisi trux rabies viduâsset lumine mortem,
Parsisset miti mors truculenta feræ.
Occidit! Ah! nostras dolor interclude querelas!
Fac, ut perfidiam non loquar ipse meam.
Immaturè obiit. Desint lamenta dolenti!
Interеam, nec in hac clade disertus ero.
Indignè occubuit. Dolor heu! svadam intercepit,
Et

Et singultantes lingva resorbet aquas.
Quid moror? Effari tandem, mortisquè fateri
Triste scelus juvat. Heu! tristè sciure peris!
Ille cicur, doctusquè leves celebrare choreas:
Et celer assiduas ire, redire vias.
Ille agilis, teretes Domini collusor in orbes:
Svetus adulantem carpere lenè manum:
Heu! subitò obriguit, Stygiæquè ignota paludis
Per vada, naufragio bellua parva perit.
Quis ferat hæc siccus? quem non ærumna necârit
Tam sæva? & Stygiis ocyùs addat aquis?
Vos, Vos Aonides, viduum relevate Pöëtam:
Funereâquè nigros rumpite voce sonos:
Flebilibusquè ululate modis: non grandior ulla,
Dum feret astra polus, causa doloris erit.
Dicite, quàm indigno cecidit fera nobilis ictu:
Quàm malè crudeles hanc rapuêre Dii:
Vindicibus, Lachesi, rabiem exprobrate querelis:
Et saltem inferias, si qua sit umbra, ferat.

DEliciæ Domini, mitisquè Sciure voluptas,
Heu mihi! quàm gravis est, te caruisse, dolor!
Tu conviva, meæ, tu commodus histrio mensæ:
Tu mihi dissvasor tetricitatis eras.
Placabat rigidas tua gesticulatio curas:
Cum quo solus ego, non ego solus eram.
Quàm pulchellus eras, streperam cùm mobilis aurem,
Sulcabas tremuli dexteritate pedis!
Quàm formosus eras, madidæ cùm balnea lingvæ
Terge-

Tergebant caudæ versicoloris onus:
Atq; genas, frontemquè, & tempora, crura, rubrosq;
Tantus amor formæ est! colluis ore pilos.
Talis Olor vitreis sese concinnat in undis,
Affectatquè ipsas fonte lavare nives.
Quàm grandis? tenui dum te metiris in aura;
Inquè leves pedibus niteris ire Notos.
Tequè supra surgis: non sic galeatus Achilles
Tollitur, immensum cùm librat hasta virum.
Quàmq; iterum gracilis! stricto dum corpora nodo
Comprimis, & tantum cauda giganta tegit.
Cauda larem præbet: sed enim, tam syrmate pulchro
Digna renidentes, verrere digna polos.
Quin etiam potuit tam vastum Syrma mereri
Inter crinigeras esse Cometa, faces:
Terribilisquè feros percellere scopa tyrannos:
Regna eversuro facta ministra Jovi.
Adde epulas, quibus exiguam non ille saginam
Nutriit, aut avidæ farsit opima gulæ,
Paupere sed pastu, jejunia nucleus explet,
Solaturquè brevem, lympha pusilla sitim.
Talis eremicolas macilentos esca fovebat:
Pascebant tales te Sòerarde, dapes.
Non ego blanditias memorem, quibus ille petulcus
Sveverat in nostras se insinuare manus.
Et modò supra humeros, saltu ambitiosus oberrat,
Nunc fugit, & fugiens, ut capiatur, agit.
Interdum cervice salit: nunc ungve modesto
Provocat, ac ludos irrequietus amat.

Sin-

Singula quis referat? citiùs me vita relinquet,
Quàm referam dotes mille Sciure tuas.
Quid juvat? interiit! poterat nec tanta venustas
Dira immansvetæ flectere jura Deæ.
O excors Acheron! terrum o Proserpina spectrum!
Tune rapis, quidquid nobile mundus habet?
Invidiâne furis? dum, quidquid amabile, carpis?
Deliciis lætam non finis ire colum.
Quid queror? Ipse tuæ secui, Fera, stamina vitæ,
Et necis horrendæ causa cruenta fui.
Ipse ego: sed sileam, ne me facundia perdat,
Succumbat tantis ne mea Musa malis.
Si dicam? emoriar! Nec enim tam scitus Apollo es,
Numine, deliquiis ut medeare meis.
Ipse Thyesteæ cænæ simulacra peregi,
Efferus! asperior felle Neronis herus.
Errabat per aprica soli, celeriquè meatu
Parthorum specimen mobilitatis obit.
Mentiturquè fugam, rursumquè ad nota recurrit
Munera, & assultus belligerantis agit.
Insequor & certo; cùm me quis nescio, casus
Impulit incautum non bene ferre pedem.
Ille pedem desultor obit, salit, absilit, instat,
Lætatur leto nescius ipse suo.
In pedibus Libitina fuit! pressitquè, nefandùm hêu!
Non ego, non ego! sed deses aluta feram.
Obrigui! letale gelu per membra cucurrit,
Bellua cùm moriens sic mihi visa queri:
Siccine amas? ita palpo ferus tua gaudia mulces?
Sic tibi mellillus, bellus, ocellus eram?

Et

Et per te cecidisse canar, cui ludio pulcher
Pespes in officiis, deliciisquè fui.
Protinus accumbo, vitæque novissima tracto
Murmura, & afflatu vivere posse volo:
Sed luctantem animam, lethæaq; stagna paventem
Abstulit infernæ mæsta procella ratis,
Siste Charon (dixi) redimam! vel me accipe. Frustra!
Deproperat remos surdus ad ista, Charon.
Indignatus ego, volui, voluiquè nocentem,
Jamquè bipennis erat, desecuisse pedem.
Sed meliùs; dixi, ipse cades, umbræquè fideli
Inferias, de te, perfidiose, dabis.
Nam; si jacturæ par est mensura dolendi;
Aût nunquam, aût hodie, triste cadaver ero.
Quid mihi cum vita? si mens circumflua luctu
Se fugit? atquè animam quærit amara suam?
Fine pari, tumuloquè pari, jungantur uterquè,
Exanimatum animans, exanimatus amans.
Ergo parate rogos, injustaquè solvite justa:
Balsaminus feretrum largiùs urat odor.
Electro cumulate pyram: quod fundet abundè
Corticis Heliadum corpus imago meum.
Stabo exsors vitæ: donec lacrymabile pondus;
In Phaëtontiades dissoluatur aquas.
Vos, super exhaustum lacrymarum flumine, Vatem,
Pægasides, vestras conturaulate animas:
Interitûsquè genus, crimenquè loquentia metra
De Pario moles marmore structa ferat.

Epita-

Epitaphium Sciuri.

BEstiolæ tegit ossa lapis, dominiquè nocentis:
Quos dedit infelix error amorquè neci.
Dum pedibus blanditur Heri, figitquè labella;
Pessima protritus fata Sciurus obit,
Blanditiis superesse suis non sustinet Auctor:
Flagitii ultorem se citat ipse sui.
Occidit! occiditquè suum nutritor alumnum:
Post Socium, in sese debuit esse ferus.
Nam, dum peccat amor, furor est: culpæquè mederi
Nescius, exitium deperit ipse suum.

APODOSIS.

Adolescentia, & Voluptas, vana sunt.
Eccles: 11. v. 10.

DIsce Puer, teneri qui vanus imagine ludi
Luderis, & juges dat tibi cura jocos.
Delicias, angore lues: nigrat insona festum
Atropos: inviso calcat amæna pede.
Quôq; tuas inebras, laqueô te nectit eodem:
Te, tua; tuq; tuam ludis amore necem.
Vana levem capiunt: est vana Volupta Inventæ;
Sed vanus non est error, amore capi.

Ad M. D. G.

EMEN.

EMENDANDA.

Paginâ 2. vel 3. verenniter lege perenniter.
Pag: 3. v. 19. Dimitiano, lege Domitianus.
Pag: 6. v. 14. fl ct tur, lege flectetur.
Pag: eâdem v. 16. D ff ror, lege Differor.
Pag: 11. v. 10. Supplicat, lege supplicavit.
Pag: 21. v. 14. I tractabilib9, lege Intractabilibus.
Pag: 22. v. 17. nit r, lege nitor.
Pag: 27. v. 12. p nula, lege penula.
Pag: 30. v. 6. lege perire dolent.
Pag: 36. v. 14. sacrifica e, lege sacrificare.
Pag: 72. v. 20. sanit, lege sapit.
Pag: 81. v. 3. o Urbis, lege o Urbs.
Pag: 100. v. 6. co æret, lege cohæret.
Pag: 105. Arct s, lege Arcti.
Pag: 109. v. 14. Gvesis, lege Gvelsis.
Pag: 112. v. 12. lege suspenditur, ore.
Pag: 132. v. 19. notiri, lege potiri.
Pag: 154. Symb: 3. v. 5to. acciptris, lege accipitris.

Plures, exolescentes obtusioris typi, literas, non est Auctoris, excusare. Comis & prudens Lector, hanc indiligentiam, ex indigentia natam, facilè condonabit.

PRÆCURSIO SOLUTÆ ELOQUENTIÆ.

Æſtima, quantùm nos in ipſa pugna certaminis maneat; cujus quaſi Præluſio, atq; PRÆCURSIO, has contentiones excitavit.

Plinius ſecundus, ad Urſum; de ſua apud Senatum, pro Vareno, Oratione.

PARS Ima
POESIS SOLUTA

Ex Libris Romualdi Wyszkowskij

PROLEPSIS.

1. PAradoxum adferre videor, cùm Poësim nomino, eamq; solutam voco. Sed negat paradoxum esse Respublica Eruditorum. Ut enim Emblemata, Symbola, similesq; Ingenii picturas; ità Inscriptiones, Elo-

Elogiis, Mausolæorum titulos, Virorum Illustrium ad posteros memoriam, & ornamenta gloriæ, subjicit Pòéticæ disciplinæ. Nam, cui facultati hæc & sexcenta similia commodiùs tribuemus? Oratoris proprium munus est (præsertim, dum forensia tractat, vel Civilia) implere Rostra, suadere, movere, vincere. Si quid argutiarum, delectationis causâ, sermoni admiscet; id interdum nonnisi, & ex parte, & temperatè. Pòéticæ verò facundiæ studium, in amænitate delectabili quiescit, qualis ex inopinatis sensibus oritur, docetq́ delectando; quin & rapit animos, dum aures pellicit inexpectatis dicendi lenociniis. Id præstant elogia, in commendationem Virorum Illustrium concinnata: non minùs feliciter, quàm carmen Æneidos, vel Achilleidos, vel Epigrammatum acutæ elegantiæ.

2. *Qui primi in campum acutæ, concisæq́ dictionis prosiliêre, palmamq́ sublimis ingenii, nobilioris limæ, & non plebeiæ Minervæ adepti, in hoc, styli, continuis luminibus vibrantissimi, charactere, Magistri & Principes facti sunt; non diffitentur, Pòésim solutam esse flores hos, & nectar eloquentiæ. „Libera Pòésis hæc, suis propemodum legi„bus vivit; præfatur Aloysius Juglares ad* DEI *hominis elogia. Pòésim hodiernorum Politicorum, vel semipòéticam sublimitatem, ex Emmanuelis Thesauri sententia, Inscriptiones appellat, censurâ limatissimus Auctor Præfationis, ad Patris Petri Labbe elogia, in editione Lipsiensi. Et sanè, Pòésis est; quia ex iisdem fontibus, scilicet: comparatorum, alienatorum, contrariorum, allusionum, æquivocationum, & similium, vim acutæ dictionis depromit. Libera est & soluta, quia Syllabarum metrica lege non adstringitur. Prosa est; sed legibus numeri oratorii non obtemperat: neq́ circumductione periodica diffluit; neq́ membrorum juncturâ, & partium rotundo flexu volvitur, ac diffunditur. Non carmen est; metrici tamen numeri speciem exhibet. Nam brevibus lineis, tanquam versibus, succiditur: fra-*

cta incedit, & in fragmentis est integra. Soluta Pòësis; ipsâ tamen ligatâ oratione succinctior: quod enim thema cum acumine, ægrè disticho pingeretur; id persæpè in duobus verbis ponit, exacuit, absolvit & stringit elogium. Ultimùm: Pòëtica, & tamen soluta oratio est; quia virtutes legit utriusq; eloquentiæ: trahit in suum sangvinem medullam solutæ, & succum ligatæ.

3. *Si quæ morosa ingenia damnabunt genus istud elocutionis, ut ajunt, novum; facilè se, de peripetasmatis expedient, pugione prompti Lacones. Si enim objicies: novum istud facundiæ genus tumidum & affectatum esse? satisfacient, dicendo: Pòësis est. Ementienti superlatione, & entheo insolentiùs laborare? Pòësis est. Commissione similium, oppositorum conflictu, allusionibus, quæsitis undequaq; argutiis, refertum, scatere? Pòësis est. Scholam & lucernam redolere? Pòësis est: Lycæa, non Rostra, non curiam, non forum occupat. Tropicis & abstrusis locutionibus obcæcare orationem? Libera & soluta,*

soluta, Pòësis tamen est, cujus faciem obtentus & umbra condecet: à vulgi sensibus, & obvia populari perceptione remotior est, styloq; reconditior, quia sublimior. Hæc tamen lumina eloquentiæ, ceu sidera, non protinus obscura putes, quòd debiliorem offendant intuitum, & caliginem luce invehant, non acutùm cernentibus. Satìs est, probari perspicaci & astutæ intelligentiæ.

4. *Levitatis, aut insulsæ latinitatis notam, immeritò quis affricet characteri argutæ dictionis. Procul à tali nota abludunt, bene limata, sed libratissima simul ingenia. Quod enim de re literaria optimè meritus, & omnibus Scholarum Elog[illegible]ajor, auctor libelli, de emendandis eloquentiæ vitiis, recèns editi, rectè præmonet & docet:* In omni oratione (*dico ego: in omni opere ingenii*) *concurrere debere* rectas sapientesq; cogitationes, & delectum, proprietatemq; vocum; *id pro religiosissima lege habent Elogiorum architecti. Equidem vocularum similium commissione, vel oppositarum conflictu,*

flictu, ludunt: sed graviter. Nam & hic rectæ sapientisq; meditationis labor est, ut ex commissione similium vel oppositorum, non contemnenda Sententiarum emphasis, robur, pondus, & aculeus eluceat. Gravior sagitta est cuspide, quàm arundine: ponderosior, quo brevis, & subtilis coruscat; quàm quo dilatatur. Sic & ingeniosa breviloquentia: acrimoniâ sensuum gravior, quo subtilior, nec eô levis, quò lævis. Quis ineptiarum accusavit istud Venetiarum Ducis Contareni præconium: Imperas Reipublicæ, tanquam Civis: Et Patriæ Pater es, & filius: Dominaris, & amaris: Dirigis & diligis: Nil tibi in urbe arrogas proprium, præter urbanitatem: In salso dulcis, in fluido constans: in Leone humanus. *Ex annominatione & contrapositis totum resplenduit.*

Verborum delectus & proprietas, si omni cultiori Eloquentiæ cordi sit, oportet; isti multò maximè. Verba adhibet non accersita, sed expromere vim argutiæ nata: phaleratis dictis non vestitur; ne lumina obnubilet.

let. Studet vocibus tam aptis, ut, nè sagacissimo Lectori succurrere possit vox emendatior, elegantiorq; ad emphasim. Sibi dictum putat: cui omnia Verba placent; ipse non placebit Judicio. *Latini sermonis medullam, dum à se amoliri videtur Juglares, illos vellicat, quibus nihil latinum est, quod in Nizolio non legitur. Placet semper nitida, vel, ut in Oratore Antonio Cicero laudat, non admodum inquinata Latinitas, & quæ barbarum quid non oleat. Et ita: V. g. loco propugnaculi, vel præsidii, vel Arcis; insigne Archipelagi* fortalitium, fortalitiorumq; *deditiones ponere, non ut parum Latinam, sed ut barbaram, vocem, tersissimus aversatur splendor elogiorum. Si quæ tamen voces Poëticam phrasim, vel audaciam sapiunt? nihil mirum: Poësis soluta est. Postremò: quid vitio levitatis aut latinitatis inquinatum in Labbæi foliis, rigidus lector advertisti? Quid in Juglaresio? quid in Massenio? Miniatulam ceram fortè expedis, & censuram paras? Atqui, per omnes Academias, &*

& Lycæa, omnium Eruditorum ore, acclamatione, admiratione, laudum panegyri, in cælo sunt. Quid illis facies? ringeris? an cælo dejicies? Si quid ergo inquinamenti irrepſerit in tales lucubrationes; ſciamus Scriptoris mendam eſſe, non ſcriptionis.

5. *Novum iſtud eloquii genus, antiquum eſt: novum exercitio; antiquum magiſterio. Non ignorabil‹e›s erant Veteribus argutiæ, nec ingratæ. ‹S›cripſit præcepta acuminum Ariſtoteles in Rhetoricis; & ſuggeſſit fontes Tullius, in Oratore. Non rarò inſpergebant ſermoni tales illecebras; ſed carptim, ſummis digitis; quia non poterant placere admirabiles, niſi plebi. Pendebat à vulgi ſuffragio, dignitas orationis & Oratoris: Non erat frequentior Schola, quàm curia & forum; non auditor ſtudioſus, niſi populus. Amabant tamen non plebeiam dictionis amænitatem & laudabant: nec abſtinebant ab elevatiore ſtyli lenocinio, quoties in oſtentationem ſe extulerunt. Gloriolæ inſignibus ornare voluit Pompeium, Cicero; & propè ſolutus*

lutus Poëta factus eſt. Cerne Elogium, ex Oratione, pro lege Manilia, nullo ferè verbo adjecto, perſcriptum, ac in lineas porrectum.

Cn: Pomp: M.

Omnium, qui ſunt, hominum Gloriam ſuperavit:

Omnem Antiquitatis memoriam.

Sæpiùs cum hoſte conflixit, quàm alius cum inimico:

Plura bella geſſit, quàm legerint alii:

Plures cepit Provincias, quàm alii concupiverunt.

Nemo Urbi quidquam novum adferet:

Nemo inauditum:

Nemo Pompeio dignum.

Imperatoria Virtute, vicit Imperatores.

Quos vidimus, omnes:

Et quos audivimus.

Suſcepit bellum Imperator,

Nec omnibus annis conficiendum ab Uno:

Nec uno, ab omnibus.

Pompeius,

Extrema hyeme apparuit,

Ineunte vere, ſuſcèpit,

Media æſtate confecit.

Totus iſte Elogii Character, mera hyperbole eſt, ſuperbiſſimo entheo inflata. In cælū evehit Pom-

Pompeium, & toto cælo à veritate videtur discedere; sed non à Tulliano Ingenio. Camillus, Fabius, Marcellus, Scipio &c: collati cum Pompeio, vix homines sunt. Nullus tamen efferbuit Cato, nec exclamavit: Ohe! quo tuus te rapit entheus? &c. *Tacuit, quia substricta laudationis sublimitas, vehementer permulsit aures, & mirè perplacuit.*

Observatione Antiquorum, profecerunt Posteri: Legerunt Ciceronem scribentem: (*) effugere si velim acutè dictorum offensionem; omnis mihi ingenii fama abjicienda est. *Bruto asseverantem:* Eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico. *Quintilianum docentem:* Ingeniosa hæc, & fortia, ut ex ancipiti diserta credantur, efficiunt. *Et hæc pro cote suffecerant, excitandis, ad argutas commentationes, ingeniis. Latinitas jam nullibi patriam habuit, præter Scholas; extra Lycæa, nullibi vernacula: in auribus populorum peregrina, & quasi barbara audiebat: ad palæstram Literatorum convolavit Latium,*

& Mu-

(*) Epistolâ ad Pætum.

& Musæ amæniores. Has excepit sinu suo, præstantissimorum ingeniorum Respublica, & ad ultimam limam perduxit, provexit ad summam politiem. Cæpit se efferre meditandi, scribendiq; peculiaris sublimitas, ut, admiranda Heroum gesta, non dispari commendarentur eloquio; nec humi reptaret stylus, extollens magnitudinem cælo dignam. Erupit tandem seges illa argutiarum: talis videlicet commentandi ratio, ut singula ferè animi sensa locupletentur novis luminibus: ut confertissima evibrentur dicta aurea: ut totidem depromantur quasi verborum gemmæ, quot concisa dictionis puncta. Hoc novum, hoc scilicet insolens est. Sed ad novitatis eluctari insolentiam, omnibus bonarum artium Magistris, cunctis retro seculis, antiquissimum fuit. Patrocinium istius licentiæ, suscipit Quintilianus (*) Cur nefas est reperiri aliquid à nobis, *ait*, quod antea non fuerit? Nihilne habebimus, nisi beneficii alieni? & cùm veteres plurima in posteros tradiderint? nobis usus aliarum

rerum,

(*) L. 10. c. 2.

rerum, ad eruendas alias, non proderit? *Tali antiquæ Romæ Oratore, & Magistro, qui primus omnium, Eloquentiæ ludum aperuit, cui primo, publicum ex ærario minerval & stipendium, Cæsarisq; Domitiani Nepotum institutio attributa est, è cujus disciplina, Plinius secundus Orator prodiit, absolvitur ab omni fastidiosa censura, hæc novæ inventionis, novæ dicendi artis, insolentia.*

6. Ut ejusmodi styli character, bonarum artium pestis, vel ingeniorum labes sit; ut publicis rebus officiat; ut ex atriis politioris studii eliminandus, fortunam exilii referat; verum sanctumq; id esse, credo ego. Credo, *inquam, neminem credere, asseverare nullum. Bonarum artium non plebeia pars, Poësis est; ut bonæ artes quàm plurimæ, quàm maximè floreant; id à rationibus Reipublicæ alienum esse, quis æstimat? Quis igitur proscribendam censuerit artem, à Poëtico studio non dissentaneam? Pa[illegible]m eloquentiæ, quam Ostentationem vocam[illegible], qui publico bono inimicam esse pronunciet, fortè non reperi-*

peries; Ostentationem solam, quæ non minùs Poëtæ ac Oratori, peculiaris est; sibi duntaxat vendicant elogia: quis ergo est, qui hanc, vel illam ostentationis speciem, prædamnaverit? Innumerabiles sunt dicendi formæ; specie dispares, genere laudabiles: & omne, quod in suo genere perfectum est, laudatur. *inquit Cic. Lib. 3. de Oratore. Quid ergo officit, tali vel diversá artificii formá polleat ostentatio? Oderint fastidiosi; modò pluribus politioribus Ingeniis jucunda, commoda, & commendanda esse videatur. Constat arti Oratoriæ, sua dignitas & Majestas: expoliuntur Rhetorum castra, ad omnem civilem, robustam, consularem, contentiosam, forensem, gladiatoriam, Victricem facundiam. Ut verò nihil amœnioribus Musis, nihil excitandis, acuendisq; ingeniis concessum sit; an id pro voto Reipubl[illegible] futurum quis arbitretur? non autumo. Id enimverò fatum quoddam versuræ orbis esset, quale in Emmanuelis Thesauri argutæ dictionis Idæa, in prooemio lego:* Ut mo-

rum, ſic orationis vertuntur vices: & quantùm à simplicitate vitæ receditur, tantùm concinnitudo & cultus dictionis intenditur. Succedunt ergò rudibus recta, rectis venuſta, venuſtis fucata; donec expleto orbe, & conſumptis velut ingeniorum viribus, ad priorem ſimplicitatem, ruditatemq; redeatur.

§. Imus.

Ponitur Elogiorum aliqua adumbratio.

ARA
poſtumæ Virtutis.
Aliquot Elogiis inſcripta.
Reverendiſſimi, ac Jlluſtriſſimi Dñi Domini,
THEODORI MICHAELIS
Comitis de Ludinghaus
WOLFF,
Primò Tripolitani, mox Livoniæ & Piltinenſis, deinde Chełmenſis, tandem Culmenſis & Pomeſaniæ.
Epiſcopi
Immortali memoriæ
Dicata.

ELO-

ELOGIUM I.

Comitum de Ludinghaus Proſapiæ Claritudo.

STEMMATA.

ADſterne frontem quiſquis es:
Vultus aſpicis,
quales Delubris coluit Antiquitas.
Comitum de Ludinghaus
monumenta ſunt Aræ:
Animi Simulacra, Splendor Templorum:
Opum molitio, Sacrorum magnificentia.
Proauctor Nominis, ante numerum fuit:
Famam præceſſit; quia Famam genuit.
Omnes Secundi prodiere:
Sed à nemine Secundi.
Nondũ loqui didicit ætas, quæ primos vidit:
Infantem famam fecerunt vocaliſſimam.
Multis Seculis
rerum ſummâ potiti per Veſtfaliam;
hoc unum egerunt,
ut ad Mundi Imperia proficeret Germania:
Et jam anguſtum eſt,

Quid-

Quidquid in orbe non Germanicum.
Victi à Carolo Magno ſemel tandem,
Cùm ſub jugum Chriſti ſponte currerent.
Ceſſerunt Sanctiori Marti, non Cæſari.
Nulli Magno,
Soli Chriſto herbam porrexerunt.
Quâ fortuna?
Iterum creati Duces
in cælum contribulibus:
exſcindendæ Superſtitioni, primi ſigna
ſuſtulêre.
Egebat tam difficilis expeditio, Duce Leone:
hunc traxerunt in Ceras,
ut in animum deflueret.
Conflârunt deinde Sceptra
in Pontificum Scipiones:
olim bellorum Numina;
jam Maximi Numinis Sacrorum Reges.
Surgunt continuò
Templa, Pietas, Fides.
Operis celeriùs creſcebant Aræ,
ut Conditores ſuos coelo immiſcerent.
Carolus Comes de Ludinghaus
Mona-

Monaſterienſis Cathedræ Antiſtes, & Auctor,
omnes erogavit gazas,
exædificando Sanctuario:
Nec reddidit opulentius.
Quia pretium gemmiſ eripuit,
Se adjecto:
Sed mox:
rediit Splendor & valor aureis tholis,
ex gemma Pontificum.
Florebat ætas armis Viriſq; incitatiſſima,
Fides & Religio
LUDINGHAUSIIS.
Rapuerũt Salisburgenſes Infulæ *Theodorum*;
Nicolaum iterum Monaſterienſes,
Henricum Paterbornenſes;
Alexandrum Livonienſes.
Quid in Illis luculentiſſimum?
Genus à Marte:
Martium robur Sanctitatis,
& Sanctitas Martia.
Collocârunt in Antiſtitum Collegium,
Gentilitiam Arcem Fiſzten, ampliſſimæ ditionis:
Quidni Illos Aris admoveas?

 qui

qui Deum ſibi fecerunt inquilinum?
Quorum Natalis focus, Veſtali flamma Sanctior;
Quorum cunabula, ſunt cælitûm Bona:
Et Numinis ædes, heredes.
Omni beneficio ſe cælum exſolverat,
cùm hos effudit;
Iterum illud fecerunt beneficiarium.

ELOGIUM II.

Henricus Comes de Ludinghaus, extinctæ Matris ſecto utero, in lucem prodiit. Immaturum partum, vitalia cæſarum ovium confoverunt. Ob quam ovilli gregis ſtragem, Primus WOLFF, quæ dictio Lupum notat, nominatus eſt: & agnominatio, Summorum Pontificum, Cæſarumq; prærogativis nobilitata.

MORS LUCINA.

HEu!
Immortalitas humanæ Gloriæ!
quàm ſubitò exſpiras!
Genus ſtirpis, infinitis Seculis majus,
degeneravit in nullum.
Tota Domus, Mater erat:
nec illa parens, ſed funus parentale!
Libi-

Libitinam exercuit procreatrix filio,
mortua vivo.
Suſtulit Prolem,
Non in vitam, ſed in ſandapilam:
Tanta Nominum claritudo, ad ſcintillā redactā:
nondum viſa luce, rogum adiit.
Suprema fuit pietas, cædi Matrem,
ne tota efferretur:
ne obſtricta parricidio decederet:
Ut locum vitæ, vitalis daret loculus:
ut animam redderet exanimis.
Rimantur ferro Matris viſcera:
Ut Cæſarem crearet ex funere.
Quàm alta ſit orbitatis plaga!
Vulnus detexit:
ex quo ſublimis frutex pullulavit.
HENRICUS.
Animam illi inſpiravit vulnus:
Ita non ſylveſtres plantæ ſoboleſcunt.
Quantus theſaurus eſt Alti Sangvinis vena!
Henricus, ut aurum, effoditur:
Omnium dotum aurifodina extitit!
Quid verò portendebatur,

quòd cæſæ bidentes eduxerint poſtumum?
Decebat plurimum vellus, novum Cæſarem.
Reliquiæ magnæ Gentis Puer,
millies naſci meruit:
mille matribus ægrè producitur.
Qui enim gigni potuit ſimul, tantus,
& tot Votorum?
Quid oſtenti habuiſtis Romani?
Leonem ove editum?
Agnatum Wolffiis decus eſt,
ipſius Innocentiæ fibris educi,
Candore Agnos, Spiritu Leones.
Quot victimis invitabatur, ut vagiret!
Ita Jovem naſci decuit, niſi fabula eſſet.
Tandem
mille hoſtiæ ſervarûnt in uno, gentem:
ut credas Aris revixiſſe.
Ovile refovet Wolffium:
Nihil exinde hoc nomine præclarius
muneri Paſtorali.
Agninis mortibus partum Nomen:
quaſi pænali officio Lituum tenent Wolffii:
ad humani gregis tutelam nati:
Vitam

Vitam debent ovibus;
rependunt.

ELOGIUM III.

Pueritia Comitis Theodori de Ludinghaus WOLFF, Epiſcopi.

PRODIGIA.

DEvorate vocem aures!
Ingens prodigium erumpit.
THEODORUS MICHAEL WOLFF,
Joanni Nobilitatis Livoniæ Principi,
Et
Margaritæ Comiti Donhoffiæ,
Parentibus ſemel;
Fontibus, bis vitam debuit:
Bis emerſit in lucem, ſemel natus.
bis undas adiit,
Ut terſior prodiret unio.
Aquæ hauſerunt non adhuc Grandē Theodorum
repetebant ſuum Margaritæ pignus.
Horam, & alteram in profundo delituit;
integrum Seculum exæquavit jactura.
Publica

Publica Domûs comploratio geminavit naufragium:
tardavit opem, properando.
Quis emersurum credidit, nisi ad funus?
tot jam præficis perluctuosum.
Emersit sospes, & vitæ integer:
quasi à ludo lætior, à thermis lautior:
Cælumne comperit in voragine?
Ita est:
Cœlo parente, è barathris prodiit.
Augusta Cæli Imperatrix summisit manum:
Cælituum Tutelares Animas,
tantùm non absorbuit sitis gloriæ
servandi Theodori:
naufragium subire videbantur ipsi Cælites.
Ergo
illâ manu ex charybdi eripitur,
quæ Deum hominem sinu excepit.
Tanti, Divinæ Virgini est Theodorus!
Divinæ effusionis indulgentissima portio:
donorum Tagus immortalium.
A Deo dati muneris pondus, sola æstimat:
ultra mortale pretium, manu elevavit.
Undarum cæliq; congressu, nobilitata Pueritia!
ne ali-

ne aliqua Vitæ pars vacaret à miraculis.
Visuntur in lacu sidera, non sorbentur:
qui ergo mergi potuit?
totam cæli faciem in se collegerat.
Totum ab imo altum permensus est:
asseruit se animus omni procellâ Superior.
Huc parvum Hebræorũ Ducem, Nilus conferat:
miramur non obrutam fluminibus papyrũ!
Stupendum est majus,
irremeabili sepeliri gurgite.
neq; condi posse.
Poteratne subsidere?
à cunis, ad Infulas ungebatur athleta:
unctæ virtutis proles, frigidæ insultavit.
Flumine quidem degravatur naufragus:
Sed sicut oleum:
mergi potuit, non dehiscere.
Vim prodigii suspicitis? Cessavit.
Mare Gratiarum servat Theodorum:
mirum verò?
Antistitum Gemma servabatur.

ELO-

ELOGIUM IV.

Theodori Wolff Juvĕtutis Cultura & Indoles

VATICINIA.

AQuilæ ſunt Regum oculi:
Lyncei cognitores ſunt.
Remotiſſima vident,
Ut præſentiſſimo Numine afflati.
Latebras animorum intrant, ut Soles.
Futura cernunt, quaſi præſentia,
ut Divini.
Longè præcipiunt magnitudinē Excellētiæ,
antequam videatur:
Propè cogunt Oraculis,
ut ad ſpem eventus reſpondeat.
Reges Vaticinatores habuit Adoleſcentia
THEODORI.
Spectârunt Polonæ Juventutis Principem
Michàél I. & Joannes III. Regnatores:
Diu tenuit attonitos
in primo diluculo, adulta fax prudentiæ:
in tenero flore, maturitatis dignitas:
magnæ

magnæ animæ fulgor, in minutulo:
Infulatæ Virtutis Species, in ephebo.
Ex tenero ungve, Leonem:
ex caſtigatiſſimo ſermone, Ambroſium;
ex puſilla granditate Fulgentium,
ſuſpiciebat vulgi ſenſus,
Reges præcinuerunt.
In conſpectum Gloriæ perducta ætas,
omne Virtutis ſtadium involavit.
In literario ludo exercuit agonalem:
prior in meta, quàm alius in curriculo.
Pragæ Lauream Philoſophiæ rapuit:
videbatur Academi caligo verſari in Sole.
Diviniores Scientias Pariſiis hauſit:
exhauriri Sorbona potuit,unius alto rationis.
Romæ Theologus pro laurea diſſeruit:
impreſſo cunctis dubio,
ſtudione, an contuitu didiciſſet,
quæ de Divinitate proferebat?
Ita ſe explicuit lumen Sapientiæ reconditū,
tanquam Cæleſtis Intelligentia diſceptâſſet.
Adeò limpidum in Divinis,
nulla humana deſtituit eruditio.
Uno

Uno cælo capi non poteſt
noſcendorum Univerſitas;
potuit unius Ingenio.
Tranſcripſit in memoriam, Juris Codices:
Annalium ſeriem devoravit.
Si Juſtitiæ ſua rectitudo excidiſſet,
Illo dictante, potuit emendari.
Si Antiquitatis Fama obliteſceret,
Ab ipſo erat poſtulanda.
Implevitne cantata de Se Vaticinia?
minimum egit, implendo;
ſummum, Vatibus derogando.
Parum viderunt Conjectores.
Exceſſit Virtus, fidem oraculi.

ELOGIUM V.

Exteras Nationes, tum privatus luſtrat; tum Regum Internuncius, incolit.

CADUCEATOR.

Curre per Orbem penna:
THEODORI veſtigia cedro imprimes.
Quos

Quos Ille Soles nôn adiit?
In ſui cultum, amoremq; accendit omnes.
Parum erat adiiſſe;
penetravit, notavit, correxit.
Omnem hominem Secum attulit,
vitatâ omnium vitioſitate.
Induit amænitate Francum,
ſed procul impetu.
Gravitate Hiſpanum, ſinè ſupercilio.
Candore Animi Teutonem,
ſinè rerum externarum deſpicientia:
Urbanitate Italum, ſine fuco:
Concinnitate peregrinum,
ſinè nativi moris faſtidio:
exhibuit Poloniæ advenam,
ſinè frigido ſenſu erga patrios focos.
Peragravit terrarum fines,
nullo vitiorum confinio.
Auſteritas non mæſta:
hilaritas non effuſa:
ſolicitudo non anxia,
affabilitas non compoſita;
modeſtia non affectata:
conſul-

consultatio non pigra;
promptitudo non levis:
facundia Verborum parca,
Sententiarum prodiga,
effinxerunt Theodorum:
Sanctioris comitatis normam;
deterioris censuram.
Castigabat labem Seculi,
etiam, cùm publicis moribus arrisit.
Amabat Illum Gallia, suo Flori comparem,
candore, ore, corde.
Ruborem licèt afflabat Liliis,
dum Rosas loqueretur.
Magnanimitate, Polonum dixít Germania,
laborum patientiâ Allemannum:
unum scilicet, & omnem Virum.
Vidit Britannia, cultu exterum,
dexteritate indigenam.
Salutavit Hispania, Leonibus, ex ungve parem,
omnibus titulis Grandem.
Infulis caput adstrinxit Latium:
ut, lecta in uno, Universi decora,
faceret sua.

Septem ostiis effunditur Nilus:
totidem Nationum ore disseruit Sapientiam
THEODORUS.
Ubivis natum credidisses;
vel ubivis alium.
Alius esse non potuit,
Vir in omni circo quadratus:
nullibi alienus: ubiq; idem & omnis.
Nusquam Polonum exuit,
Sed exhibuit toti Europæ contribulem.
Oceani terminis, Patriam definivit.
Terrarum omnium Indigena, Polonus visus est:
Et Indigenæ terrarum omnium,
volebant haberi Poloni.
Adeò cepit corda omnium,
quorum lingvas præceperat.
Unum erat, quod instar exilii tulit:
Mactabatur honoribus!

ELOGIUM VI.

Illustrissimus Dominus THEODORUS Comes WOLFF, unà cum Clemente XI. in Romanum Pontificem electo, Presbyter initiatus, ab Eodem Episcopus consecratus, Dignitatem Sacræ Purpuræ constanter deprecatur.

ROMA TRIUMPHATA.

TRiennii morâ, Romam occupavit
THEODORUS.
Ter Urbem invectus;
Ter capta Urbs ab uno est.
Facilis erat Roma capi:
trahebatur Amore.
Amorem injecit splendor Virtutum;
hoc erat vinculum.
Electus erat, ad Clavũ Ecclesiæ, Clemens XI.
illico Elector factus
ad Pontificium, Theodori.
Falli non potuit Pontificis Maximi electio:
nec summus Pontifex Elector.
Divino afflatu provectus ad Solium Petri,
renunciavit Theodorum, totus Divinus.
Utrumq;

Utrumq; eadem creabat inspiratio.
Unum hunc suum esse voluit;
qui Sacris initiaretur, unà cum Sanctissimo:
ne singularis,
sed quasi geminata cerneretur
Summa Sanctitas.
Ut Cælesti Throno consedit Clemens;
Theodoro manus mox imposuit:
quasi
tam pretiosæ Animæ possessionis avidissimo.
Gravabantur manus, Clavibus Petri:
onus partiri voluit cum Wolffio.
Ergò
Scipione & Annulo inaugurat Episcopum:
idem Amborũ ut esset triumphus, dies, fortuna.
Perspexit unum,
cum quo Religionis Curas divideret.
Illas
ut sibi redderet molliores;
in Pulvinaria(*) Sacri pectoris accepit Comitem
qui æquè dissita salvaret, cogitando.
Volvebant publicæ salutis consilia,
uterq; ut unus.

 Pacifi-

(*) Pulvinar pro Ara, vel pro Larario, pars pro toto. *Ad Omnia pulvinaria supplicatio decreta est.* Cicero 1mâ in Catili:

Pacificandæ Poloniæ conferebant
Alter opem, Alter operam.
Erat motrix Intelligentia Theodoro, Pontifex
& Pontifici Theodorus, Angelus.
Firmamentum Ille Rei Christianæ;
Columen Iste.
Quare Cardinem non dixi?
Erat: sed Nominari oderat.
Publicis Regum Votis poscebatur ad Purpuram
verùm
Non Orbis & Vrbis vota,
non Beatissima palmā evincere potuit Clementia
Tenuit victoriam, infregit triumphum,
Candidati Modestia.
Quid egit? quid non egit?
Peroravit contra honorem,
Tam pugnacissimè, ut nullus:
Nunquā severior aspectu Leo Ludinghausius
quàm contra cruorem Purpuræ.
Verecundatus est: nè juberet:
deprecationem objecit,
ut Galeam, contra Galerum.
Ad pedes Clementiæ defixus est,

Ne in

ne in Rotam Purpuratorum cogeretur:
miserandus erat supplicio!
Omnis Virtutis Virum se exhibuit;
nulla erat, quam Cardinalem non diceres,
Nè crearetur.
Aliquot tamen ferre subinde Infulas debuit,
Aliquā ut victoriæ partē concederet Sanctissimo.
Romæ, Sacramento rogatus,
vt nè Principes Poloniæ Tiaras recusaret.
O Virum!
Cui, quasi culpæ rubor est,
Candidatum esse;
Et Candidatorio munere fungi nolle,
Religio est.

ELOGIUM VII

In Livonibus Religione excolendis, decennio desudat, plurimasq; Ædes Sacras fundat, substruit, locupletat.

LEO PASTOR.

LEonē Ceris prætulit, Comes Ludinghausius
Leonis animum Pontifex.

Adve-

Adverſis imperterritus,
duris infractus,
aſperis indefeſſus,
& neq́ in efferos ferus.
Mollibus curis franguntur ſimiæ:
Leo ſe roborat laſſitudine.
Sic Theodorus:
exhauſtis pro Religione ſudoribûs, vegetior;
infatigabili operoſitate auctior.
Dura ſunt Leonum cubilia: (*)
talis Epiſcopo fuit Livonia:
ſuperſtitionum latebra, hæreſum Lerna.
Debellavit geminam peſtem:
illam in Orcum, hanc in veritatis lucem
revocavit.
Amputarûnt ſiniſtram fidem perfidi:
impia ſacra harioli.
Diris illi nefariam ſectam,
iſti penetrales Deos, flammis devoverunt.
Aliquone Præſulis conatu, & diſcrimine?
Vnius, Omni.

Per-

(*) Caji Marii inſomnis, vox, ex Syllæ rebus, ſecundis. in videntiæ ſtimulîs agitati. *Plutarchus.*

Per tractus, Livoniæ, Curlandiæ, Semigalliæ: per littora, ſcopulos, tuguria, municipia, penetrabat ſe more ſideris:
infudit obtuſæ ferocitati perſpicientiam,
deceptis lumen cæleſte:
ignaris doctrinam fidei.
Acceſſerût Orthodoxis Sacris, millia populi,
plura Nobilitatis Capita:
Platterorum, Sejorum, Butlerorum, Daniſzewſciorum: familiæ, pagi, coloniæ integræ.
Quibûs armîs tam opimæ partæ manubiæ?
Paſtoris voce & vitâ.
Nulla ipſi ex voce ignota Ovis:
Nulli ex pabulo ignotus Ipſe.
Pabulum erant
explicata Religionis Myſteria.
Graſſabatur miris per corda illecebris
Vox Leonis.
Lactabat fidum gregem, allectabat segregẽ:
lapſos erigebat mores, evertebat errores:
quot perfidos profligavit, tot fideles creavit.
Quanta in uno ſermone miracula!
Quid in Vita?
Idem Sacrorum Præſes, & Idea:

taci-

tacitus, jubebat omnia:
omnia pervincebat, ſimul ac apparuit.
Ejus arcano lumine perculſi Novatores
ſe agnoſcebant;
quã proculà RectitudinisCanone exerrârint.
Offendebantur ſuis erroribus,
offenſis in tanta Luce:
à Sanctitate Pontificis diſſidere,
credebant eſſe ſacrilegium.
Novus populus poſcebat nova Sanctuaria:
duodecim erexit *Theodorus.*
Unde opes tot operis?
Locupletſſima ædificatio Præſul,
totus aureus.
Unde ad opus latomiæ?
quantus, quantus erat Antiſtes,
Petra fuit.
Omnis Ejus molitio, Fidei munitio.
Omnis Virtutis motus, contra Sacrilegia,
Omnis, terrâ mairq; contentio,
pro Aris, & Cælo,
Omnis reditus, Animarum manipuli.
Inſatiabilis WOLFF, hâc unâ prædâ,
Vi-

Virum ſui Nominis egit:
Sed tanta proferendæ Religionis fames,
Leonem oſtendit:
Regalis erat.

ELOGIUM VIII.

Reverendiſſimi Theodori WOLFF munus Regni Poloniæ Senatoris.

FASCES ACTUOSI

Pontificem geſſit Theodorus Sanctum,
Patrem Patriæ Sanctiſſimum.
Religionis Propagator,
mortales curas exuebat:
Servator Reipublicæ,
immortalem cupiebat.
Pænarum irrogatio Faſces ſunt,
ſi parum probis obveniant:
publicæ rei flagellum,
ſi parum idoneis.
SENATUS THEODORI
utilitas populi, proſperitas gentis:
Regum dexteritas, Regni integritas:
afflictæ fortunæ ſalus, proſtratæ remedium.
Mul-

Multos in umbras conjecit publicum:
honore, ceu funere, elati ſunt:
Vix agere in humanis creduntur,
qui omnia egerunt pro Purpura.
Implevit Curulem Comes Wolffius,
ad feſtinationem agendi:
Purpuram ſumpſit;
ut Civilis duelli ſangvinem ſiſteret:
tractavit Faſces,
diſſidiorum ſceleri caſtigando.
Fatale portentum Reipublciæ eſt
inteſtina diſcordia:
lacerabat hæc Regni viſcera;
ſcidit Corpus Imperii.
Totum tranſibat in partes,
amiſſa unione.
Steterunt à partibus cives,
Nobilitate pares, ſimultate nobiles:
concordes Aquilis, pugnantes alis:
Sangvine germaniſſimi,æmulatione diſſoni:
odio ſolo fratres.
His tragædiis ſe oppoſuit Theodorus,
publicæ caligini, Solem.
Fregit voce, internecinum nefas,

excepit turbinem malacia,
rabiem pænitudo.
Amore pacis Concionem inflammavit:
extincta ſunt furoris incendia.
Vicit
comitate Orationis, temeritatem gladiorũ:
lenitate, amentiam:
ſalubritate, pervicaciam:
ſanctitate, ferociam.
Rediit unitas magno Poloniæ Corpori:
unanimitas Provinciis,
Fratribus Anima,
Spiritus Regno.
Quantos populos ab interitu exemit
cogendo in unum?
Unum redivivum legimus, (*)
olim, Poloni Epiſcopi ſuſcitatum voce:
Theodori miracula definiri nequeunt.
Innumerabiles erant devotæ cædibꝰ Umbræ,
Omnes, à morte, ad vitam revocavit.

ELOGIUM IX.

In conventu generali Ordinum Regni, ſub ipſa co-

(*) Petrum de Ianiſzewo, poſt triennales cineres, vivum de ſepulchro productum, à S. Stanislao Ep:

mitia, Reverendissimus Dominus Theodorus Wolff, ex calculi ægritudine decumbens, supremum diem obiit Varsaviæ 1712. Idem olim in conflictu Kliszoviensi, (*) Serenissimi Augusti 2di Regis lateri continuus, prostratis acie militibus, & animam exspirantibus, ope salutari astitit, & ad suprema sanctè obeunda, præsidio fuit.

EXPOSTULATIO.

Huc
ferales tedæ, lugubres Taxi!
Dolori Sacra facimus:
æternando, non placando.
Immanis jactura non probè sentitur,
nisi perpetim.
Theodorus Wolff Episcopus,
Cælo illatus, lugeri debet:
tanquam exciderit.
Quæretur toto Cælo simillimus:
nec minùs desiderabitur Aris, quàm Astris.
Cum illo erepta sibi dolent:
Oraculum Reges,
Templum Sanctitatis, Curia,
Aram calamitosi,
Cælum Religio. Plo-

(*) Ann: 1702

Plorare cernis marmora?
puta Poloniam.
De gravi injuria Defunctum postulat:
In Superûm invitationē properè concessit.
H*Eu!*
Quare carpitur morborum vitiis?
Vitiorum morbis intactus.
In facie collecti Regni demoritur:
An Regno animam inspirare voluit?
abstulit!
Universi Imperii corpꝰ penè reddidit exanime
hocciné quis à noxa absolvet?
Publicæ tranquillitatis causâ se toto erigebat;
cur Scipionem cadendo subtrahit?
cur manum scipioni?
Contra hæresim dimicabat assiduus:
piguitne laboris, quòd receptui cecinit?
Satisné vixit Honori *& gloriæ?*
Suæ vivere voluit nunquam:
& nunquam non vivet;
Divinæ nunquam satìs.
Ejus in Illo sitim, nulla copia restingvebat.
Ra-

Rapitur ex oculis THEODORUS.
NOMEN
quod Immensi Largitoris conclusit opes.
SACERDOS
in quo Cælestes Gratiæ se dignè cōmendarunt.
PONTIFEX
Religionis Sacra Anchora. (*)
O grande Donum! quàm subitò repeteris!
conclamato bonæ frugi Seculo,
discessit remedium.
Admitte tandem blandimenta O Dolor!
Felicitas Posterorum est, nôsse
qui vixerit?
In illa, ad Kliszow, memorabili clade,
acervatim cadebant cæsorum corpora:
Præsul Animas levabat.
Advolabat oppetentibus, ut Numen.
Regiæ salutis excubitor,
censebat totidem Reges,
quot gregariorum Animas.
Plures Sacris expiatos,
in cælum subduxit:

ne

(*) Nautæ maximam ac validissimam, ad quam in naufragiis confugiunt, vocant *Sacram Anchoram* Calep:

ne victor haberet Erebi socios.
Omnium Saluti præsentissimus:
Suæ, tam prodigus, quàm securus.
Totum crederes Angelum, totum Spiritum,
Cælos, immortalitate induit.
Inter telorum nimbos, inviolabilis:
poterantnè ferire jacula
tantæ virtutis Characterem?
stupefecit igneos tubos, reverentia,
hostem, admiratio.
Hoc facto immensùm vivit!
superabit secula, nec senescet.
At enim:
dolenda est admaturata migratio!
Quid?
Redhibûit se Deo Theodorus?
hoc ultimò egit, quod semper.
Agebat in humanis,
quasi utriusq; Poli Internuncius:
Creberrimus illi fuit ad cælestia;
invisus ad terrena regressus:
horum fastidio, illorum incendio,
videri desiit.

Non

Non festinâsset?
diu vix uno lapide à Cælitibus aberat. (*)

ELOGIUM X.

Defuncto Reverendissimo Theodoro Wolff, posthumus honor, indictis, in Vaticano, funerum Sacris, à Clemente XI. Romæ adornatur.

IMAGO VIRTUTIS HONORATÆ.

IN hunc lapidem diriguit Leo.
Fallimur!
Hoc signo immortalis est
Theodorus Michaël Comes de Ludinghaus
WOLFF,
Quinq; Infularum Columen,
cunctarum Dignitas.
Europæ Cognitor & cognitus,
Vivæ Virtutis Imaginem latissimè protulit
Operis materia & Praxiteles
Ipse fuit.
Petram in venas traxit,
ad Sanctitatis cælaturam;
exem-

(*) Notatur afflictæ valetudinis causa.

Exemplar & typum perfectionis
in se vivum exsculpsit,
Animi sui formæ, Lysippus.
Hæc:
inducta marmoribus,
nondum est frigida;
adhuc omnem ætatem animat.
Calculosum nactus vitæ stadium,
actuosè excoluit in messem meritorum
Posuit merita Eminentissimis Titulis paria:
sed
ad Dignitates immobilis:
quasi Petram à natura induisset.
Heu!
Cælestis polituræ effigiem
calculus deiecit!
Cadentis fragor Romam attigit:
& mox
reddita cultui Virtus est
honore postumo.
Summus Pontifex Clemens XI
jacturæ indoluit:
Et lacrymæ erant Sanctissimæ.
D Mæ-

Mærebat Maieſtas Cæli vicaria:
grande ſenſit Divinæ Rei vulnus.
Aræ Vaticanæ pullam induerunt;
luxerunt faces parentales.
Magna in luce fuit, magnæ Romæ luctus.
quaſi lapſum Eccleſiæ Cardinem lugeret.
Non quaſi, ſed ex vero.
Ad Purpuratorum Collegiū capi non potuit
dum viveret Theodorus,
ad Eminentiam, poſt cineres venit.
Supra ſolis altitudinem exceſſit è vivis;
fortè Galeri fugâ;
Nam poterat vel ſpe iniectâ exänimari.
Delatus honor eſt mortuo:
jam non poterat noluiſſe.
Minuit tamen factum, merentis Excellentia
Sacrorum Orthodoxæ Fidei Caput,
Brachio ſuo, magnificè parentavit:
Hoc verò eſt Iuſta ſolviſſe.

§. 2dus

De Inſcriptionibus.

Inſcriptiones voco Titulos, Imaginibus, vel Mauſolæis ſubſignari ſolitos. Plerumq; marmoribus inciduntur. Differunt ab Elogiis, magìs adſtricta brevitate: quā licèt Elogia quoq; reſpiciant, liberaliùs tamen indulgent encomiis, & acuminibus; Inſcriptiones verò placent ſummâ & compendio. Antiquis erant breviſſimæ: ætatibus creverunt. Hoc verò aliquis ſuperſtitioſus antiqvitatis æmulator fortè damnabit? accipiat vocem indignabundi Quintiliani: L. 8 C. 5. *At eſt quoddam genus, quo Veteres non utebantur. Ad quam usq; nos vocatis Vetuſtatem? Multa Demoſthenes, quæ ante eum nemo. Quomodo Cicero probabitur? ſi nihil ex Catone Gracchisq; mutandum. Sed & ante hos, ſimplicior adhuc loquendi ratio fuit.* Neq; adeò qvispiam imberbem ſibi fingat productiorem hanc Inſcriptionum venuſtatem: jam tertium Seculum numerat. Exemplo ſint, à Rndo Patre Adalberto Pigłowſki S. I. adumbrata, quæ omnibus Societatis IESU Polonæ Collegiorum Fundatoribus ac Benefactoribus, Anno Eiusdem ſæculari 1640. concinnavit, & typis Cracovienſibus edidit encomia. Ex quibus duntaxat Collegii Poſnanienſis, in qvo hæc ſcribimus, Conditores ac Mecænates, ab obliteratione abſterſos, ut, qvaſi jure poſtliminii, in memoriam revocem, exigit immortalis grati animi recordatio.

I.

DIVUS SIGISMUNDUS AUGUSTUS.

AUgustissimi Nominis Rex,
Regni Diadema, vivente Patre, capessivit.
id Sigismundo Primo concedente Patriâ,
quod meritissimis Regibus negavisset.
Acre ingenium non permisit fortunæ:
didicitq; ea sola bona, quæ honesta:
potentiam, purpuramq; extra animum esse.
Ubi, præter Coronam, accepit & regimen,
ut summæ potestatis argumentum daret,
Poloniam Sapientiæ vectigalem effecit.
Cùm Musas amaret, non neglexit Arma:
artibus enim litaverat.
Suam ut Bellonam fæcundam pacis haberet,
Prussiam, Livoniam, Moschoviam, Turcasq domuit.
Et ne intra Regnum clausisse Prudentiam videretur;
pacem inter Daniæ Sveciæq; Reges, stabilivit.
In summa fortuna, Religionem cùm amaret,
Societatem JESU recepit intra Regnum,
Ne fovisse Hæresim videretur,
tam inimco eam telo adorsus est.
Cùm nullum haberet, quem timeret, hostem,
sensit demum inimicam mortem.

II

DIVUS SIGISMUNDUS TERTIUS

ULtra mare quæsitus ad Regnum,

Polo-

Poloniam accepit, Pietatis pretium:
cùm Sueciam eripuisset perfidia.
Pariturus in Regno pacem, adamavit Bellonam:
tutiora credens sceptra: cùm sunt ferrea;
quàm cùm aurea.
Moschoviam ita superavit,
ut illius Imperatoris calcaret collum:
quasi. ad immortalitatis fastigium
Sigismundo gradus non esset,
extra Regum cervices.
Turcam sub Chocimo repressit:
quod mirere,
magnos exercitus opponere verentem
uni Regis Nomini.
Instaurata Religione, pugnatis feliciter præliis,
pacem habiturus, vacavit Deo.
Basilicas,
alteram Apostolorum Antistiti Petro,
alteram Iagellonicæ sanctitatis Principi
Casimiro erexit,
utramq. Societati IESU donavit.
Illi Rigæ, Smolensci, Cracoviæ, Collegia fundavit,
Posnaniense prærogativis evexit,
& dum Regiâ munificentiâ coronat,
coronandus ipse, cælum petiit.

III

STANISLAUS KARNKOWSKI
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS

SEnatus Poloni Oraculum,
afflictæ Religionis asylum.

In.

Ingenii, eloquiiq; claritatem
cùm Innocentiæ candore perfecisset?
meruit coronare Reges, nondum Primas.
Ad Gnesnenses Infulas, majoremne officio contulit,
an ab officio retulit Dignitatem?
jure dubites.
Pastor, & Senator,
Dei Honorem, Reipublicæ bonum, amavit, curavit.
Utriq;, Regiâ munificentiâ providit.
dum Societatem IESU fundavit Calissii,
dotavit Posnaniæ.
Post administrata sapientissimè tria Interregna,
totidem Reges coronatos,
cælo redditus,
exuit mortalitatem.

IV

ADAMUS KONARSKI

EPISCOPUS POSNANIENSIS.

MAgno muneri, non impar Antistes:
par Officio Senator.
Cùm probitate, sapientiâq, summus esset;
dignus visus est, cui absenti supplicaret Honor.
Pro Henrico Valesio, Legatus in Gallias,
nihil impensiùs curavit,
quàm, ut Polonis, cum avita Fide,
peregrinum Regem deveheret.
Tantus vir aliorum in oculis,
suos fefellit:
Stanislao Cardinali Hosio, Virtute carissimus;
ab

ab eo didicit Novatores odisse.
Hos ut damnaret,
Societati IESU Collegium erexit Posnaniæ.
Suorum Incolumitatem, dum optimus Præsul curat:
amisit Suam.
In hoc felix,
quòd ejusdem in Religionem animi
Successorem habuerit.

V

LUCAS KOSCIELECKI.

EPISCOPUS POSNANIENSIS.

MAgni Konarscii successor,
Posnanienses Infulas, Virtutum gemmis distinxit.
Pastorale pedum ideo accepit,
ut Hæreticos tereret:
Dignitatem Senatoriam;
ut Consiliis frangeret.
Utrumq; præstitit egregiè.
Cùm detestaretur Hæresim,
Hæreseos hostes amavit:
Fundatum à Decessore, S. I. Collegium
auxit, dotavit.
Nobilitati carissimus cùm esset,
pauperes Carissimos habuit,
eorum æqvè Pater, ac Pastor.
Dum fatalis Hæresi diceretur; fatum suum sensit.
ab affecto paralysi corpore
vigorem animi auspicatus, & æternitatem.

 AN-

VI.

ANDREAS DE BNIN OPALINSKI.

EPISCOPUS POSNANIENSIS.

MArſchalco Patre natus, ad Paſtoralem Scipionem:
probavit
tutò majora committi, Magnorum Filiis.
Quanquam,
etſi Avorum Gloriâ caruiſſet,
dignus erat, qui, magnâ virtute, ſumma mereretur.
Eccleſiam cùm moderandam ſuſcepiſſet;
primùm tueri voluit, quàm tenere:
æquè benevolus ſuis, ac Novatoribus acris.
Ubi Poſnaniam Hæreſi primus purgaviſſet,
vigilantem per omnia Paſtorem expreſſit.
Societatis IESU unicè amantiſſimus,
nunquam ejus non Defenſorem,
nunquam non Parentem egit.
De Sanctis etiam bene mereri laboravit:
D: Stanislao Koſtka, cæleſtes cultus in terra
impetravit:
redonandum in cælo ratus,
quod Divo impendiſſet.
Optimus Præſul, vulgò Deliciæ mortalium dictus,
dum Deo vacat,
quam ſanctiſſimè egit Vitam, ſanctè obeundo,
invenit, non amiſit.

VII.

HIERONYMUS GOSTOMSKI.

PALATINUS POSNANIENSIS.

SEnator, & manu fortis:
&

& Conſilii plenus:
ex hæretico, Fidei propugnator acerrimus:
docuit
ingenuos Animos, à caſu fortiores eſſe.
Senatoriam Dignitatem accepit,
ut Patriæ prodeſſet.
In ſumma comiate, ſummè gravis,
ubiq, mirus ſui poſſeſſor.
Societatis Iesu unicè ſtudioſus,
Collegium eidem Sandomiriæ erexit,
Poſnaniæ locupletavit:
quaſi Patriæ Pater non eſſet,
quamdiu bonas artes, ejus commodo, non foveret.
In Senatoriis opibus
nihil æquè ſuum duxit,
quàm quod liberaliter effudiſſet.
Irreparabili Patriæ iacturâ,
Seipſum quoq, cælo dedit.

VIII.

ADAMUS SANDIWOIUS CZARNKOWSKI

PALATINUS LANCICIENSIS,
Maioris Poloniæ Generalis.

ILli natura Prudentiam conceſſit;
perfecit Experientia.
E caſtris, ad Generale Majoris Poloniæ Caſtrum
progreſſus,
in Offico incomparabilis fuit:
dexteritate, magnanimitate, probitate.
Majorem Poloniam, plùs quàm Areopagum effecit:
Supra

Supra modum popularis,
Nobilitati cariſſimus exſtitit.
Optimè de Regno meritus,
cælum ſibi ſtuduit demereri.
Collegii Poſnanienſis S. I. Maximus Benefactor,
dignum æſtimavit,
in quo, annuâ ſui demiſſione, litaret Deo.
Omni diuturnitate Vir digniſſimus,
totâ mœrente Patriâ,
lætus ipſe, quòd in ejus obſequio,
æternitatis portum ſubivit.

Sepulchrales etiam Titulos, ex electioribus lectos, ne deſiderentur, adjicio:

I.

D: O: M:

Subſiſte

Non ſinè faventi ſuſpirio, Viator:
Lege ac Luge.
longum ad Poſteros funus
STANISLAI de Grab GRABSKI
CASTELLANI Rogozinenſis &c:
Huic, ubi ætas par armis adolevit,
In Holſatia, Dania, Lithvania, Ukraina: contra Svecos, Hungaros, Koſakos, Tartaros &c: ita ſtrenuus per annos 12 certavit miles, ut Ductor Vexilli ſui contra Turcas, ad Chotimum, emeritam coronaverit militiam.

Nec

Nec minor in Toga, Patriæ Civis:
Deputatus pluries Iudex ad Tribunal Regni:
cujus vicaria, longo tempore, directio
ceſſit illi in honorem.
Commiſſiones Fiſci, in Majore Polonia,
per plures annos moderatus:
Ipſe apud omnes ſeu cives, ſeu milites,
præcipuus fiſci Theſaurus.
Tandem, tot meritorum,
& nullo venalis ſuffragii pondere;
ad Senatum evectus,
integritate, magnanimitate, dicendi præſtantiâ,
amore legum, boniq; publici,
ſuperavit multos:
Candore, Religione, incorrupto pro æquitate
pectore, pro fide Orthodoxa,
zeloſiſſimus.
In pauperes Eccleſias, Divosq; liberalis.
ſupra XL millia erogavit
vivusq; Cælo præmiſit.
planè, & meritò
terris, & Cælo pretioſus.
Favete Poſteri tanto Civi:
tanto, in modico pulvere, Senatori.
Hominibus vixit Annos LX
Superis æternùm vivat.
Obiit Anno 1693 Die 6. 8bris.
Parentatum illi à Dolentiſſima Conjuge
Dorothea Grotowna Grabſka,
ad perenne amoris ſui

do-

dolorisq́, publici monumentum.

II

D: O: M:

ERepto humanis
RAPHAELI de Borzymie MAKOWIECKI
CASTELLANO Camenecensi.
Genus illi fuit, quod Jarandis:
educatio, quæ Ioanni Casimiro:
cujus Personam semel ad Exteros,
partes & arma semper secutus.
Capiti, quod gladius discriminat,
aciem ingenii addidit.
Iustitiæ cæteroqui retinentior,
nisi mortalitati debitum solvisset.
Virum verè sui Nominis,
hoc est: medicinam DEI,
publica, & privatorum mala probârunt,
Quod in Parentibus,
extra mortem, fuit animô complexus,
Eorum cineres, ex hostico, in hanc ædem, collegit.
Multa præclarè; nobilissimè egit Animam.
IV Idûs Decembris. MDCLXXXVIII.
Annos natus LXVI.
ultra quos, factis extendit ætatem.

DOM

III.

D: O: M:

VIATOR

IDeam virtutum marmor exhibet:
TERESSIAM de Dębiany MAKOWIECKA.
Genus, & sangvinem nôsti, si Polonus es.
Cælo, ex fasciis,
Raphàéli Makowiecki Castellanano Camenecensi
devincta ex conjugio:
Podolio Soli, eadem Aurora, & Hesperus:
hunc, Virtutis die detinuit,
flevit in vitæ Occasu.
Amissâ geminâ prole, plurium Mater,
multis utramq́: dedit vitam:
tam prodiga exempli, quàm opum.
Virginem Aulam Cænobiis addixit,
ipsi domestica Pietas.
Religiosissima in Societatem:
votum nuncupavit, ne hanc munifica desereret.

Hic

sua in DEUM studia:
pictis acu Altaribus, artem liberalem,
excoluit.
In missione montana, DEI Gloriam; Sacellum Conce-
ptionis, in censu solido, Christum Eucharisticum, in
auro, & adamante posuit.
Potuit in gemmis ædificari Ecclesia,

ni

ni ſtaret ſuper Petram.
Mundo imprimis muliebri,
Tum terris exceſſit. 30 9bris. 1704.
Huic altaria precare Hoſpes:
Omnia Aris digna fecit.

IV.

D: O: M:

Audi Hoſpes!
Silentes tibi loqui volunt.
Quis?
ELISABETH Febronia, PALATINA SIRADIEN.
Gente RZEWUSKA, connubio KONIECPOLSKA.
Ampliora quæris? contrecta cineres:
quod cernis, hoc fui.
Quàm latè excurrit Polonia,
erant Mariti Patrimonia.
Mille Annis magni erant Koniecpolſcii:
Senatu, Armorum imperio, victoriis, ditione,
Utriq, Polo confines.
Nunc omnes in æternitate,
ſub Cælo nullus.
Ultima tanti Nominis periodus,
ALEXANDER Conjunx:
collectam in ſe unum gloriam
Cælo intulit.
Viduata conſors, deflevi in uno, Gentem:
Infinito luctu circumfuſa, non obrigui,
niſi etiam humanæ fumum magnitudinis,
Secu-

Seculis gravem, momento inanem.
Labentem Fortunam ſuſtinui triennio:
Columnis detrectandam, licèt proximis. (*)
Tandem.
Alexandri mei deſiderio, humanorum faſtidio,
Cæleſtium ſtudio, mori deſii.
Abi Hoſpes.
oculum ad æterna porrige,
non offunderis favillâ, & fumo:
hoc omne eſt, quod ſuſpicit Mundus.
Viator redi,
Matthæi Rzewuſki Palatini Podlachiæ, Exercituum Poloniæ Magni Ducis, gemina ſoror eſt,
quæ te docuit.

Hæc

Fraternæ Virtutis æmula,
cum ærumnis ſtrenuè conflixit.
Omni fortunâ ſuperior,
uni DEO victas dedit manus.
Inopum greges,
auro, Sago, commeatu, conſcripſit:
fortiſſimam Cælo expugnando manum.
Ad Rozniatow & Koniecpol,
Societatis IESU militiam collocavit:
Animi ſui,
& populorum ſalutis præſidium.
Divinæ Voluntatis ſtudioſiſſima:
quotidie parata occurrere DEO:
mortalis vixit, quaſi in cælo.

Eò

(*) Quem proximè cernebat hereditas; erat de Gente Columnarum.

Eò migravit, die XXII Iulii, ætatis Anno LV.
Salutis MDCCXXII.

Viator

Honoris Punctum in æternitate pone,

Vicisti!

V.

D E O

Qui aufert spiritum Principum.

E Vola tumulo Phænix Fama,
resonans immortale Funus
CONSTANTINUM FELICIANUM in Szaniawy
SZANIAWSKI Episcopum Cracoviensem.
Anima fuit regno, Augusto II. Corona:
Senatûs Caput, Libertatis vitale Cor:
Vicinis Oraculum; Remotis lugendus
inter Grandes, Pares, Purpuratos Patres.
Adstabant infirmo Torunii duo Monarchæ,
argumentô: quantùm valuerit apud Principes.
Cardinales, pro Murice, adeptus Virtutes;
Prudentiâ Consilium, Iustitiâ Tribunal, Militiam
Fortitudine; Temperantiâ Pacem;
intus & extra, eminenter promovit.
Sensit attrita hæresis audax, Stanislaum:
Credidit Religio triumphans, Constantinum.
Pastor, Forma Gregis ex animo;
de vellere pretiosi Iunoſza, duos propè
milli-

milliones concessit in Templa, Seminaria,
Gymnasia,
formandis perpetuò Sarcerdotibus aureis.
Plura daturo, Parca obvenit:
Mors erat, non dare.
Numeret Cujavia usq; ad Balthidem,
Præsulis per annos tredecem, dona:
sicut arena maris.
Pro Ecclesia, Patriâ Virium prodigus,
Sudore fuso,
tantùm non Sangvine, scribi debuit:
Constans Felicitas Poloniæ.
Hanc, ut propriam, Cælum recepit. 1732. ætat 64.
Episcopatûs Cracovien: 12 Anno. Die 2. Julii
Supremis condictâ Sacramentis, MARIÆ
Visitantis:
Cujus Patri, Ioachimo, non honori sui cineris,
Sacellum istud Regibus collateritium,
fecit Marmoreum.
Cor servat Congregatio Missionum in Stradom,
Ubi & Thesaurus gratiarum Ejus.

VI.

D. O. M.

SIgnatur marmore, Vir immortalis:
CHRISOSTOMUS Niemira GNIAZDOWSKI
Cataphractorum legionarius Ductor &c.
Clarum per Classica Bellatoris Nomen
tot lingvæ memorant,
quot Poloniæ insultarûnt hostes; quot hostibus clades.

Sive urbes assultu, sive Campo urgeret aciem,
fortunam iussit parere fortitudini.
Illum, ceu Martis Genium,
amabant militum Nobilissimi,
stupebant hostium fortissimi,
Laudabant æmulatorum lividissimi.
Partam bellis Virtutem, Pace, non abdicavit:
Ludi militaris strenuus semper exactor,
pacatæ Reipublicæ otium sic adamavit,
ut surrecturi motûs paratus ultor.
Campo, Vir extra fatum,
dum concedit lecto, concessit letho.
Die XII. Ian. Æræ Christianæ MDCCXXXII.
Extinctum putas?
vivit in Historia belli Gothico-Civilis:
vivit genuinus Heros, in Filiis.
DEIPARÆ præsidio, quam efflictim coluit,
Divorum patrocinio,
Antonii Paduani, & Stanislai Kostka,
quos præliorum Sodales habuit,
alterius Sodalitia erexit, promovit, fovit,
mortem oppetens,
Vixit, Vicit!
Forti Animæ lacrymas, & preces lita. Vale.
Heus! adsis Viator! Salvere te jubeo Cinis!
Adhuc tubam opperior miles defunctus!
Hunc Cinerem, conflabit olim Tuba in Virum:
Viator,
Disce vivere, ut moriendo vincas:
Disce occumbere, ut surrecturus triumphes.
Abi.

§. 3tius.

De Generis Epidictici vario dicendi charactere. Et, quæ sit vera Eloquentia? Quis verus Orator?

AD Poësim solutam pertinere contendunt aliqui, Orationes nō solùm breves, ut sunt salutatoriæ, gratulatoriæ &c.Sed etiam integras laudum panegyres, præsertim, quæ conciso, compto, subtili, arguto stylo, quales Oratores Cicero floridos vocat, * adornantur. Rectenè & congruenter? interim nec disputo, nec improbo. In quæstione de Voce, litigare nolo. Sit ita:. porrigetur enim mihi campus, hoc ipso loco, de vera Eloquentia, veroq; Oratore differendi. Et Ciceronem quidem si consulo? Is, universam generis epidictici eloquentiam, ad Palæstram Sophistarum, quos penes, apud Veteres, in re Oratoria, magnum nomen, magna dignitas, & Magisterium fuit, refert. Refert autem, non probri vel contemptûs, sed honoris gratiâ. Commendat enim eam vehementer, tanquam Civilis facundiæ nutrimentum, & dulce pabulum. *Dulce Orationis genus* (docet in Oratore Capite 6to, à numero 37.ad 43.) *solutum & affluens, sententiis argutum, verbis*

* L. de Claris Orat.

sonans, delectationis causâ comparatum, pompæ, quàm pugnæ aptius, est in illo Epidictico genere: quod diximus proprium Sophistarum. Delectationē verò & pompam, sic explicat. *Hæc laudationum forma, est quasi nutrix Oratoris.* Intellige Oratorem (qualem nonnisi formandum se suscepisse profitetur) forensem. *Ab hac & verborum copia alitur, & numerus liberiore quâdam fruitur licentiâ; datur venia sententiarum concinnitati; argutiq; certiq; verborum ambitus conceduntur; de industria & apertè elaboratur, ut verba verbis quasi demensa & paria respondeant; ut crebrò conferantur pugnantia, comparentur contraria: ut pariter extrema terminentur, eundemq; referant in cadendo sonum.* Non tibi videtur, Erudite Lector, omnes ferè Pöésis solutæ leges adumbrâsse Cicero? ubi liberiorem numeri licentiam, sententiarum concinnitatem, argutos verborum ambitus, apertam & elaboratam industriam, verba verbis demensa, paria, pugnantia, contraria, similiter cadentia, similiter sonantia, cum veræ laudis gustu prosequitur. *Illorum est*, inquit Cicero: *qui sunt nominati Sophistæ.*

Hìc fortè aliquis alius Eloquentiæ Magister opponet se, & dicet: ineptas esse has vocularum similium *commissiones*, ductas ex mero verborum conflictu *argutiolas*, luxuriantem dictionis *lasciviam*; prudentiæ, ipsiq; adeò *naturæ*,

ingenuè sua sensa explicare volenti, *contrariam* talem Orationem nuncupabit. Itane verò? Ineptæ igitur Eloquentiæ vitiorum palpator probatorq; Cicero est. Quid ad hæc respondebit Ille? *Hæc forma* (inquit ibidem) *laudationum suasionumq; talis est, qualem Isocrates fecit Panegyricum - Isocrates, qui præter cæteros ejusdem generis, laudatur semper à nobis, cujus Domus officina habita eloquentiæ est; cùm eos doceret, qui partim dicendo, partim scribendo, Principes extiterunt. Isocrates, quem, exagitator omnium Rhetorum Plato, unum miratur.* Hæc Cicero. Dixit, & ora clausit.

Ex duabus his nomenclationibus, quarum altera Ciceronis, altera postuma est, tertiam non invenio; eligite Demonstrativi Oratores, quæ vobis decentior probatur usurpatio? Utrâq; denominatione commendatissimum est hoc genus dicendi; Pöésis tamen solutæ nomen plausibiliùs audit. Ego certè, si nobilissima Oratoriæ pars, genus demonstrativum, ad Sophistas, ut Ciceroni placuit, referendum sit; malim, habita optione, Pöéta solutꝰ, quàm Sophista audire.

Sed hìc fortè aliquis argumentabitur: talem Eloquentiā non esse veram, sed falsa, sed spuria est; utpote à rationibus veri Oratoris & Reipublicæ aliena. Hoc non patiar! An Cicero & Quintilianus spuriæ facundiæ non dico parentes, sed magistri sunt? Nisi autem hos, tan-

quam ineptos Præceptores, damnare volueris; argutæ, sublimi, jucundæq; in Ostentatione elocutioni applaudas, necesse est. Quid enim Cicero? *In epidictico dicendi genere, omnis ferè ratio ad voluptatem Auditoris, & delectationem refertur*, inquit l. Partit: Orat: Quid Quintilian9? *Ostentatio solam petit audientium voluptatē: ideoq; omnes dicendi artes aperit: ut, quæ non insidietur, nec ad victoriam, sed ad solam fidem laudis & gloriæ tendat.* inquit L. 8. c. 3. In quo autem sita sit hæc voluptas eloquii? non absimili, ut Cicero, expositione illustrat, dicens. *Quidquid erit sententiis populare, verbis nitidum, figuris jucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum, velut Institor quidam Eloquentiæ, intuendum dabis.* Hæc tamen fortè alicui minimè satisfacient. Requiro igitur, quid est? voluptatem solam, delectationemq; in oratione petere? An fortè verba, non aliud, *sed ad quod significandum instituta sunt*, sonantia adferre? Id verò est, omnes tropos, *in quibus, vel maximus est Orationis ornatus*, ut inquit Fabius, à sermone dimovere. Tropus enim est *sermo à naturali & Principali significatione translatus ad aliam, ornandæ Orationis gratiâ.* An genuinum suæ naturæ sensum, ingenuè *explicare velle*? Id verò est Schemata, seu Figuras, quas Cicero *lumina Orationis* vocat, procul ab Oratione amandare,

Figura enim est, *conformatio quædam Orationis, remota à communi & primùm se offerente ratione.* Communis, & primùm se offerens loquendi ratio, naturæ est; remota, quæsita, & inventa, artis, ac ingenii. Tropis autem & figuris tam Verborum, quàm Sententiarum destituta eloquentia, quid tandem delectationis voluptatisq; pariuriet? Aliud itaq; est, rectè, simpliciter, latinè, usitatè, perspicuè loqui; aliud, à proletaria sermocinandi consvetudine eximi, atq; distingvi. Si voluptatem delectationemq; cùm genus, materiaq; dictionis; tum auditor non plebeius postulat; hanc adferet forma sermonis acuta, concinna, ingeniosa: quo res, alterius beneficio, significatur: sive, talis identidem styli elevatio, quæ aliud naturali significatione præsefert, aliud sensu & intelligentiâ. Ut prætercam illos delectationis modos, quos suprà, ex Fabio, & ex Cicerone recensui.

At enim Pöésis soluta, quî potest veri Oratoris nomen sustinere? hoc captu difficile est. Quisquis es, qui repugnas; non multo negotio efficiam, ut mihi accedas. Admittis enim, delectationem, quasi principalem & peculiarem quasi, Pöétarum esse: *Et prodesse volunt, & delectare Pöétæ.* Si igitur aliqua prosa Oratio *Omnē ferè rationem ad delectationem referat; si solam audientium voluptatem intendat*; jam à Pöési, vix

alio differet, (exceptâ fictione) nisi quòd prosa sit. Atqui de Genere Epidictico, Cicero; de Ostentatione Fabius, pronunciarũnt id ipsum, ut superiùs produxi; Num ergo tale genus dicendi non veri Oratoris est? Atq; ob hanc causam, Cicero, ut existimo, Pöetam Oratori, *multis ornandi generibus socium, & ferè parem* vocat, *L. 1mo De Oratore.* Æquiparari ergo possunt, & appellari non possunt? Sed clariùs loquamur. Non negas fortè, ligatam orationem dici, quæ numero metrico adstricta est; solutam ergo necessariò appellabis Orationem, quæcũq; prosâ decurret: atq; adeò omnis sermo artificialis solutus, vera erit eloquentia, & sermonis Auctor verus Orator. Adhucnè inficiaris? Doce, quæso, Vir optime, quid intelligis nomine veræ eloquentiæ? Libenter doceri volumus: sed non ex novitiis propositionibus alicujus nuperrimè Oratoriam professi Magistri; verùm ex Antiquissimæ Eloquentiæ parentibus. Ad antiquitatem enim appellatis Ipsi: eamq; unicè præ oculis habendam dicitis; nihili vero hos, qui hodie nati sunt, eloquentiæ Doctores. Ego veram eloquentiam à vero Oratore derivari existimo: Tu fortè eandem sententiam sequeris. Macte! idem sentimus. Restat unicũ, ut, quis tandem verus Orator dicendus sit? conveniamus. At neq; hic tantæ pugnæ periculum

culum est, ut propterea fas sit genua incerare Deorum. * Verus Orator est: *Vir bonus, dicendi peritus.* Hoc me Cato docet. *Bene autem dicere est scienter, peritè, & ornatè dicere.* Hoc me Cicero docet. Istisne Rhetoribus obmurmurabimus? istos corrigere audebimus? supra istos sapere præsumemus? Crede mihi, Vir amicissime, si quid aliud ex arbitratu nostro, tanquam pro fundamento & basi, constituere voluerimus; id nulla auctoritate subnixum, collabescet. Si universalissimum, quàm latè patet, Eloquentiæ genus, per speciem definiemus, totum per partem; si nihil distingvemus, Svasoria sit, an demonstrativa? Causidicorum pugnax, an pacata? Epidictica, sive, ut laudat Cicero, Sophistica? an Civilis, & politica? vereor, ne tanquam veri Sophistæ explodamur. Nemo enim Oratoriæ rei peritus, adeò inconsideratus erit, ut glaucoma oculis suis imponi, Speciemq; eloquentiæ pro genere; vel genus unum, forensi duntax aut Civili contentioni accommodatum, pro quolibet dicendi Genere, obtrudi sibi patiatur. Sit itaq; nobis satìs, religiosissima, à Majoribus tradita Definitio. Verum Oratorem esse *Virum bonum, scienter, peritè, & ornatè dicendi gnarum.* Modo à te requiro, Vir eximie, quid judicas de illis, qui sensibus argutis, translationibus crebris, figuris & sen-

* Juvenalis.

& sententiis vibrantioribus, ad voluptatem delectationemq; aptant eloquiũ? nonne scienter? noñe peritè? noñe ornatè id elaborãt? Hanc ipsis laudem nemo unus eripiet, quamdiu plurimorum approbatione censentur. Ciceronis, & Quintiliani, quas recitavi, præceptionibus, sermonem accommodant. Veri ergo Oratores sunt, eorumq; Stylus, cum rationibus veræ eloquentiæ conspirat.

Nondum fortè me omittes Amice optime, dicesq;: Oratoris finem esse, *aptè ad persvadendum dicere.* Quæ autem ad hoc aptitudo esse potest in tali Oratione, quæ roboris Ciceroniani expers est? Opportunissimè sanè Ciceronem adduxisti. Quantum enim in Poési soluta præstat Cicero, ostendunt laudes Pompeianæ superiùs in Prolepsi perscriptæ. Expedit etiã te meminisse, quòd hoc genus delectabilis eloquentiæ, sit *non pugnæ*, *sed pompæ aptum*, ut ait Cic: *neq; ad victoriam*, *sed ad solam fidem laudis & gloriæ tendere*, ut dixit Fabius. Non igitur hìc expecta gladios & pugiones, non ballistas argumentationum, quasi ad insectandum Catilinam, aut Verrem, aut Antonium, in foro vel curia persequendum. Habemus tamen ad victoriam telum, quo nullum potentius: Svavitatem, blanditias, voluptatem, & acumen eloquii, Aptitudo enim ad persvadendum

dum

dum quibus præsidiis comparatur? *docendo*, *movendo*, *delectando.* Orator Encomiasticus, si in aures & animos arguta delectatione influit; non eo ipso docet movetq;? immo rapit. Persvasit ergo; atq; omnes veræ eloquentiæ partes magnificè peregit.

Hæc in gratiam digladiantium inter se opinionũ. Quarum altera omnes amænitates & acumen Ingenii, tanquam labem, immerito dedecori affingit floridis Oratoribus: talesq; nec nomine veri Oratoris dignatur. Altera verò talibus ornamentis coloratum sermonem, in censu nobilioris eloquentiæ ponit. Sed ut cultissimus Lector rem discernere, atq; de ea cordatè possit decernere; fidelibus oculis subjicio aliquot Prædicationum Oratoriarum, diversi characteris, paradigmata.

§. 4tus.

Ponuntur Styli diversitate varia Laudationum Exempla.

Serenissimi Poloniarum Regis
JOANNIS TERTII,
Difficillima in Bessarabiam expeditio, Oratoriè describitur.

OCcurrebant ubiq;, præruptæ acutæq; rupes: pendebant exesa ævo, & quasi uno haustu integros devoratura exercitus, antra: Hæmus Geticus, apertis anhelus rimis, tam nobili prædæ inhiabat: Bug

dziacen.

dziacenses Alpes, jam grande quid, diductis faucibus, procul etiam minabantur; jam non tam sua mole, quàm Tuæ fortitudinis admiratione defixæ, in arcus triumphales, sua culmina Victori erigebant; sed altius erat Majestatis Tuæ fastigium, quo, velut Atlante cælum, totius Europæ securitas nitebatur. Saxea Barbariæ viscera ita obduruerant; ita omnes fibras, ferri tui metus occupavit, tenuitq; ut ne fontibus quidem liceret prorumpere. Omnia elementa expaverunt, senseruntq., & tantùm non intellexerunt Victorem. Irata Victoriis Tuis Orientis astra, & Soles Barbariæ inhumani, ita campos omnes consumpserant: ut ne herbam quidem reservârint, quam Victori populo porrigerent; sed invictus miles tuus, ipsis Vitæ discriminibus, ipsis periculis, continuisq. præliis, fortiùs ad immortalem gloriam alebatur, & ab ipso sumebat vires, animumq:, ferro. Per tot Victorias, per tot mortes, & funera, ad hostem properabas! quasi, ut Lunam è cælo barbaro deturbares; omnia Tibi priùs superanda forent elementa, quæ in Te ita Othomannus furor armaverat; ut palàm fuerit, quòd à Tuo discrimine, Regum fortissime, totius Europæ penderet salus, aut exitium. Si licuisset Patriæ, per tot discrimina, quibus securâ Majestate insultabas, ad Te perrumpere: natantes in lacrymis voces illius exaudisses. Quò Regum Fortissime? quò Vita Europæ? quò ruis Exercituum Anima? quas plagas ingrederis Regnorum salus? Fons publicæ securitatis, ad quæ littora delaberis? Exustæ radicitus herbæ, quæ Tibi Serta nectent Victor Magnanime? Ad famam Tui Nominis, barbara tellus emortua, quos fesso militi Polono

Polono feret fructus? Effugêre altis littoribus flumina; quo pulverem Martium, quo cruorem Geticum fonte ablues? Sub cujus arboris umbra triumphale caput reclinabis? si folia quoq; arborum, avara Thraciæ sidera consumpserunt? Metire solis ardores, vix gregario militi perferendos: reputa multiplicatas ubiquè ex arte insidias: hostem Parthum, germanum Tartari, quem sistere difficiliùs est, quàm vincere. Nobilem Polonæ militiæ florem, in Bessarabiæ ages deserta? priùs cum extremo laborantis Naturæ defectu, cum exhaustis littoribus, cum sterilibus campis, cum scopulis, cum monstris ferisquè, quàm hominibus pugnaturus. Et hoc demum est, omniũ periculo fortem esse: omnium discriminibus, securum. O mortali majorem Genium! O non humanam Animi magnitudinem! per tot Terrarum spatia, Imperii Securitatem quærere, bellorum fortunæ imperare, insultare casibus, sitire prælia: focos, aras, Liberos, patriam à tergo reliquisse, ut periculis Tuis, & dolore hostium, Europæ triumphos pareres. Quis unquam Ducum, tot discrimina, non dico, sine ingentibus impensis, sed sine Regnorum jactura, sine populorum exitio superavit? quot Tu tanta felicitate emensus es, ut palàm sit omnibus, nihil, in Te, belli casibus, nihil fortunæ, nihil licere periculis. Crede, Regum Fortissime, tot operum exempla, vix singulæ ætates proferre consveverunt, quot Tu, nobis exhibes quotidie: immò fortitudinis Tuæ, fortunæq: tantæ, nulla, nisi in Pòetarum Fastis, vestigia legimus. Annibalis Cannas, in Austria; ad Strigonium, Augusti Actium, Ciliciam Alexandri, in Hungaria: in Valachia, Moldaviaq:, Pharsaliam superâsti.

Hâc

Hâc verò in Getas expeditione Tuâ, omnium exempla Heroum, omnium bellorum pericula, omnium temporum fidem excessisti.

Regius hic Orator, egregius est Ciceronis imitator, in laudibus Pompeii Cæsarisq. superlationibus, supra modum & fidem sese erigentis.

Eminentissimus S. R. E. Princeps JOANNES CASIMIRUS DONHOFF,

Eodem die ad Romanam Purpuram assumptus est, quo, in Hungaria, de Turcis triumphatur, à Cæsarianis Budâ occupatâ.

INfra celebritatem Honoris Tui, alia quæcunquè esset, non totius Europæ lætitia. Nequè Turca miser, nequè Tu felix esse potes: quin simul omnes populi, omnia simul regna, immò totus plaudat Orbis. Vix enim difficiliùs est illi Urbes eripere, quàm Tibi Trabeam conferre: illum campo & regno pellere: quàm Te pertinaci modestiâ Tuâ deturbare. Jam utiquè Christiano jugo, Turca cervicem submiserat, Tu adhuc Sacræ Tæniæ Caput negabas: jam vincula & compedes Austriæ induerat: Tu Vittis nolebas adstringi: jam totus ille, fuso sangvine rubebat, Tu adhuc in Romana videri Purpura, recusabas. Scilicet, peregrinum Numen, dare Latio Nomen proposueras: si honorem latere posses, quem fugere potuisti. Ideo enim tantùm excessisti Poloniâ, quòd Te omnes ambirent Dignitates, non ambientem. Expectabant Te Signatoriæ Regni Gemmæ, à

mæ, à

mæ, à Tua manu, pretium aucturæ: rapiebant sibi certatim sublimes Infulæ, ut Tecum fierent eminentissimæ. Itaq;, ne unus, omnibus apud Te Honoribus Patriam faceres, ipse ultra Patriam abiisti; acerbissimo illorum sensu, quòd eminus, & ab absente sperenerentur. Leviùs tulissent, æquè oculos Tuos, atquè odia incurrisse. Sed tamen latere diu cùm velles; non poteras, Tuâ Te prodente magnitudine. Quantùmcunq;, Te absconderes, & intra altissimas Modestiæ Tuæ latebras reciperes, adhuc Caput ad Tiaram, humeros ad Purpuram ostentabas. Cùm Patriâ excessisses, Honori victoriam erepturus, Romam veneras, ubi triumphum celebraret. Nec verò Te statim adortus est, relictâ Tibi aliquamdiu Tuæ securitatis existimatione, ut Te cautiùs invaderet. Aggressus Te est illa die, ne Te sentires vinci, quâ Urbes & Regna vincebantur. Conflixit cum Virtutibus, Sanctissimus: & ut integra victo constaret gloria, vicit Innocentius.

Celsissimi Principis THEODORI POTOCKI,

Archiepiscopi Gnesnensis, Legati Nati, Primatis Primiq; Regni Poloniæ Principis Funebris laudatio.

NOn privatum Funus Tuum est, *Primatum Maxime:* in publicis Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ lacrymis, tumularis. Sub generalium Comitiorum tempus, Vitæ Tibi stamen ruptum est, nempe, omnes Regni Ordines debebant congregari, ut, qui

omnium

omnium vixisti commodo, ab omnibus deplorareris damnum: qui Rex Apum mellifluus dici merebaris, totum Alveare cerneretur commori: qui tam alta Cedrus, id est Reipublicæ Basis cecidisti, necesse est, ut Abietes ingemiscant: ruinaquè tam magna, quàm Magnum Regnum est, ut Regnum tangat, & premat universum. Est, Serenissime Rex, cur Fati hujus nubilum, Sereno Tuo immisceas; Ut adoravit Majestatem, ad alios animo nunquam respexit Deos: fortiùsq;, credidit hunc esse Regem, quem Deus, quàm quem daret Ipse. Tuas Ille Dotes Regno pares, Virtutesquè homine majores, ut primùm cognovit, felicem fore, & esse, dictitabat Rempublicam, nihil à tam pio Principe passuram ratus, quem nec ambitio stimulat, ut opprimat: nec ira, ut laceret: nec avaritia, ut exspoliet. Sæpiùs quidem fama nequior obstrepebat, sed fama hæc, verè fuit echo Invidiæ, non veritatis, quæ Diva est. Tardiùs equidem ad Thronum accessit, dulciùs tamen in termino viator requievit, ad quem diutiùs ivit: sicut ratis, adhæret portui tenaciùs, ad quem navigavit per Syrtes & pericula: pariter & arborum flores tardi, in durabiliorem fructum abeunt. Ultimo ferè halitu, Majestati Vestræ valedixit, & Animam commendavit: quam impendisset, nisi fata negâssent, Regi Filio, ut impendit Patri Patriæ, & Tuo. Huic Ille in bellis, commilito: in præliis, acies prima: in periculis, manus: in triumphis laurea: in confæderatis Ordinibus, unio, & gemma: in utriusquè fortunæ stadio, athleta & assecla individuus erat. Talem quidem erga Te experiri haud potuisses, Te enim ab

nim ab

nim ab omni fatorum jure exemit cælum, nec Respublica, Te Rege, aliam potest habere fortunam, quàm semper Matrem. Dignitas *Primatis*, est quoddam medium, inter Majestatem, & Libertatem Poloniæ, perinde ut Cor, inter Caput & membra: nectitq;, artus invicem, & omnibus Sangvinem communicat. Sentit Cordis hujus deliquium & Corpus Reipublicæ: à quo enim Vita, inde procedit & vitæ detrimentum. Nempe, rupto ejus Vitæ filo, Generalia rumpuntur Comitia: marcescit robur exercitûs, & augmentum: scinditur unio animorum in Ordinibus. Demum, Salvatore Regni Primate mortuo: Salvatorem autem Cruces Christi fecerant, & Gentilitiæ, magnus terræ motus factus est. Prorogâssent utinam superi annos! Eo Varsaviam properavit voto, ut Regem Invictum, Rempublicam Vicinis formidabilem, Nobilitatem fortunarum securam redderet, ac Posteris relinqueret. Langvente Nauclero, & remi langvent: collapsâ turre, tecta confringuntur. Scilicet, quà mera fuit Civilitas Civibus: quà Nobilibus humanitas: quà Provinciis Oraculum: quà discordantibus Pax, quà miseris asylum: quà indigentibus subsidium, quà lacrymantibus solatium: Ille, inquam, ut in omnium vixerat Animis, & pectoribus: quod per se unum satagebat unus, egissent omnes: & placâsset facilè omnium dissidia, qui solam nonnisi nequibat placare mortem.

Reverendissimi Domini
IGNATII Trach GNINSKI,
Coronoviensis Abbatis, diutina Romæ commoratio.

RAro exemplo, trium Pontificum funera, electiones,

nes,

nes, inaugurationesq; Romæ aspexisti: ut disceres, quomodo Sanctissimi moriantur: quanto studio quæri debeant inter homines: quanta religione submittant verticem non tam Infulis, quàm curis Universi. Fortè enim poterat invenire causam excusationis, modestia tua, si non vidisses, cum summa Sanctimonia, Pontificum Tiaram stare posse, fulciriq; Sacro Scipione etiam pedes inoffensos. Intelleximus, quàm facilem tibi reddideris absolutissimam in terris Sanctitatem, quæ te non tantùm ad beatam suam Visionem, sed ad intima quoq; oscula admisit toties. Quanta in vultu tuo lego integerrimæ vestigia Sanctitatis? cujus pedibus, repetitis vicibus, labra admovisti, ut tota colligeres. Quæ Ordini Religiosissimo, quæ posteris dabis? immo, quæ non dabis exempla Virtutum? quarum passibus ita intimè studuisti. Rosis quondam, liliisq; palatum imbuebant Græci Romaniq; Oratores, humanis auribus blandituri: Diviniora locuturum os tuum, sanctiore initiâsti antidoto. Quidni tibi cordi sit omnis probitas? qui maximæ in terris Sanctitatis gustum, ipsis labris, toties percepisti. Si mutum aliàs (teste Pausaniâ) saxum dulcè resonabat, in quo Apollo, nescio quid Megarensium Regi locuturus; Cytharam semel posuerat: quàm gratas dabit populis voces eloquentia Tua? in cujus ore, suam, Vicaria Numina, positione pedum, designavere stationem. Si aures in pedibus habent Principes; quæ ergo illis non persvasisti, cùm Te tam profundè toties illis inclinares, quasi arcanum quid ad aurem locuturus. Satis est, quòd à pedum osculis, ad ea suæ Sanctitatis venisti alloquia, quibus *Prothonotarius*

tarius Apostolicus, *Laureatus Utriusq. Juris Doctor: Prælatus Domesticus*, *utriusq. Signaturæ Referendarius*, in Urbe renunciari meruisti: ut omni suspicione carerent Tituli, qui à tanta Sanctitate deferebantur. Si igitur longiùs morari licuisset: post Conclave domesticum, Cor etiam Pontificis adiisses, tenuissesq;. Ita enim loquebaris, ut Beatissimi quoq; haberent, quod illis deesset, nimirum excusatio.

Illustrissimi Domini HIERONYMI PONINSKI, Castellani Gnes: *Olim sub Czarnieccio Duce*, *bellicæ expeditiones*, *Ejusdemq; ad Comitia Regni*, *iteratæ Legationes*, *commemorantur.*

REvoca Tibi, Illustrissime Domine, ad memoriam; ignaviæ ad verecundiam, generi humano ad voluptatem, illas Provincias, quibus, victore passu, nominis Tui terrorem inculcâsti. Nempe Daniam, Holsatiam, & quotquot fortunatum te domitorem, tergore castigato senserunt, ore præciso celebrarûnt, fractâ cervice adorârunt. Dubium feceras in lucem editus esses, an in hostem? tantùm non novennis eras, cùm stillabas in hostem odia, non jurabas: pro aris, non ad aras: ad pallorem hostium, cum Annibale: supra Annibalem, ad ruinam. Planè, bella gerebas in bulla: supra ætatem, non infra gloriam. Natus ad arma, adultus in armis: non hostem, non annos, expectabas. Pauco annorum, ingenti Virtutum bellicarum numero, ivisti extra Patriam, supra exempla: per exigua vitæ, per immensa terrarum spacia, quærebas hostem, ut gloriam assequereris.

 Inter

Inter remota Regna, vicina pericula, non ſentire illa videbare, cùm ab hoſte ſentireris. Profugum, non tantùm ad ſedes ſuas, verùm ad admirationem, inſequebare: ut, qui dederat terga: daret & mulctam. Et impetus quidem Martios, Tibi: partem autem felicitatis, vincendiq; rudimenta, Stephano Czarniecki debebas. A Te poteras: ab illo ſciebas vincere. Hoc Magiſtro, ardua pugnandi præcepta didiciſti, ſub quo, armorum Numen Gradivus, ſtipendia mereri cuperet, ſi diſcendi cupido eſſet ſupra faſtum. Nec minorem in ſinu Patriæ collegiſti gloriam, poſtquam hoſti debitam cladem, te verò Penatibus reddidiſti. Jam balteum ſolveras: Patriam obligare non ceſſabas: recondiſti vaginâ gladium: & adhuc pauci tecum paribus meritis certare auſi: deſcendiſti triumphatore equo: amori in bonum publicum, laxiſti frena: non totum Te Sagulum texerat: majorem decorum tuorum partem involvit Toga. Diu, & propè nobiliſſimam Vitæ partem ſomniant alii in Parnaſſo: ut olim pro Republica vigilent: impalleſcunt libris: ut quondam, ſine pudore, diſerti audiant. Te, neq; coram hoſtibus, Virtus: neq; coram paginis pallere permiſit Muſis inimica Bellona. Palladem tuam, cerebro tuo debes: natus es, quod fieri poteras: & uni naturæ debes, quod alii novem Muſis. Quid enim Tibi negotium faceſſerent literæ? qui literarum negotium futurus eras. Toto ſtudio incubueras, ut impleres volumina, non volveres: ſcire haud indigus: ſciri dignus. Civilis eloquentia tua, tam procul à fuco, quàm ab arte: oracula fundis, non lenocinia: gratias promis, non verborum phaleras: ſentire

ſentire lingva, non loqui: dare conſilia, non perorare videtur. Satìs erat à limine Minervam ſalutâſſe, ut in Palatiis Regni, ex majeſtate diceres, cenſereris voto communi, audireris plauſu ſingulari. Utcunq; autem, ex Tullii ſenſu, Oratores plerumq; fiant: Tu Orator ad Comitia & Legatus, Natus eras: aut cælo lapſus: niſi Terreſtrem Nuncium vulgus diceret.

Illuſtriſſimæ Domûs SZANIAVIORUM, ex victoria, ope Divi Michaëlis Archangeli, & Viri fortiſſimi, MICHAELIS PASCONI ſtrenuitate, reportata, quâ Jazyges, infanda gens, à Leſcone Nigro, 1282. Anno, occiſione deleti ſunt, Originis, Oratoria Narratio.

Regnabat Leſco, Niger ab æſtu bellico: ſed formoſus Triumphis: pallorem neſciens timidum: ad limatam gladii, non ſpeculi aciem, excultus, ut placeret Victoriis. Colore illo vultum pinxit aut ſol Apelles in caſtris: aut fortior ignis intus accedens mentem: aut ſerenior fumus urbium hoſti exuſtarum. Frons atras nubes collegit? fulminabit, ſparget funera: Nigrum cave barbare. Laceſſunt tamen Jazyges: & jam diffidentes audaciæ, ſe vinciunt invicem, ne libertas fugæ, rumpat pugnandi neceſſitatẽ. Frendet inani terrore conſtrictus furor, immanitas catenata, & arrogantia priùs captiva, quàm capta: non pugnam, ſed pænam expectat in vinculis, conſcientia temeritatis convicta. Accelerat magnis itineribus Leſco: & feſſus, ſomno dum ſubmittit oculos: ſua, non Miltiadis trophæa ſomniat: quieſcens vincit, cui bellicus labor, quies. Quid agent vigiliæ?

liæ? si triumphat sopor? Dux Cælestis militæ, dormienti victoriam denunciat. Venit, nondum vidit, clausis oculis vincet. Evigilat, adhuc in auribus sonante Michaëlis tuba: uno prælio delentur ad unum Jazyges, nec uno Polonorum desiderato! Fuerint aliæ Victoriæ, Imperatorum vulnere, gloriosè mutilæ: hæc integritatis, sub Nigro, victoria, speciosior sine vulnere: facie non læsâ amabilis: auribus non abscissis, meliùs audiet. Fuerint aliæ semel aut ad tempus victoriæ, aliquando vincendæ: Victoria hæc assidua, æterna: nam quotidie vincitur, semel ita victus, ut nunquam cum Antæo resurgat. SZANIAVIANÆ Domui hæc debetur Victoria: propterea constans, quia CONSTANTINI præscia, ejus militat Nomini. Vix enim DIVUS MICHAEL disparuit: MICHAL PASCONUS apparuit. Unus, heroum millia. Multus instat hosti, & libertate cædis exultans, per infestas acies, volat interritus: densissima quæq; penetrat, proterit, in ictu oculi. Milesnè è cælo fulmineus? an in terra cælestis? Tuonè ense, Divine Princeps Michaël, fulgurabat ille? an Tu, ejus manu pugnâsti? arma Tua induit ille? an corpus ejus Tu subintrâsti? dubius pendeo. Tanta enim vis ex oculis, agilitas in membris, fortitudo & alacritas promicabat è pectore: tanta præstitit MICHHAEL PASCONUS: quanta decuissent Legionum Supernarum Ductorem. Eundem fortè vidit Lesco somnians, quem suspicit experrectus: ideoq; Michaëli Cæliti trophæum dedicat. Lublini Ecclesiam: Terrigenæ Michaëli addicit SZANIAWY latè patentes fundos. Ista fuit, per tot prodigia, Nominis tunc novi

novi SZANIAVIORUM, sed antiquissimæ Nobilitatis fundatio: non quâ redditi nobiliores, sed quâ notiores sunt. Sed priùs, cum stirpe tota, debuistis exscindi Jazyges: ut pateret: Szaniavios procreari ex nihilo hostium.

Quas ingero infrà Orationes; his ego nec album adjicio; nec atrum inuro calculum. Utrinq; enim iniqui judicis personam agit, qui se, suamq; proprii Martis operam, sive plausu, sive derisu ludificatur. Extrudo hæc, ne, dum aliena do sub ictum; ipse obelos suffugere videar.

Ad Illustrissimam Dominam.
MARIANNAM de WOLFFIIS KOSSOWA
Palatinam Culmensem, Reverendissimi Theodori Wolff, Culmensis Episcopi defuncti, Sororem.

Panegyrica Allocutio.

TArdiùs te Illustrissima Culmensis Palatina, convenimus: neq; enim, per tantam tuæ Domûs lucem, festinatiùs licuit. Nullus est loquendi exitus, ubi crescit in cursu historia: semperq: metus est, ne jejunè priora dixerim, ubi partitione crebrescunt narranda. Tibi sinceræ vocis famam debebunt hæ Paginæ: dicar parcè delibâsse ingentia, postquam tuæ virtutis Speculo cognoscentur Wolffii. Quò enim, Theodoro, laudes posthumæ? nisi, ut talem fuisse credant ætates, qualem persvadet Soror, cui dotem non plausus adjicit, sed modestia. Si quæ postera Dignitas addi potest Antistiti Fratri tuo: Illi ex te

fastigium est. Nam quanta devotione conspirâstis Ambo, ut Divinæ rei cultus, Majestas, & amor passim abjectus & obsitus, Vestris impendiis effloresceret. Illum adductæ in obsequium Numinis Provinciæ, Fidei assertorem pronuntiant: Te verò onusta donis altaria, gemmis animata Divorum Simulacra, Architectam magnificentiæ salutant. Ita Aris decorè fulgurantibus, majorem imprimit reverentiam vultus Palatinæ, prolixo Numinis affatu & precatione supplex. Affusa enim piis laribus, inter Divina silentia, diem exigis. Jam Cæli stationem Sol quoquè deserit, & astis obrepit tædium, Tibi interim totus æther in contemplatione defigitur. Luculento carmine exorati à Te Superi, commodant Te hominum exemplis, & Curis. Exinde labores Servitiis imperas, Proceres accipis, aulam corrigis. Quid corrigas? non ad majestatem Heræ componunt se ministeria? non ad virtutis supercilium comuntur? Veniant, quibus peregrinum nomen est, Aulæ Sanctitas: Lateris Tui comitatũ inspiciant: discent, aulicis moribꝰ nõ lenocinari vitia. Timet enim nutibꝰTuis apparere malè præcincta licẽtia: timet obversari otium: timet fescenninus jocus obrepere. Quæ verò Tua prudentiæ vis, in difficillima rerum tractatione? libras altissimo pondere, momenta negotiorum: Occurrit afflictis casibus victrix solertia: consulis Te? Senatus decernit. Ut mihi nova iterum sudare deberent folia! nisi displicere Tibi laudes Tuæ metuerent! Sed prohibe! Non perinde tamen silebunt pauperes turbæ, quarum ærumnas, continuo beneficio abstulisti. Queritur irata miseris fortuna, abstersas, Tua manu,

manu, pupillis, lacrymas: rident discussæ Tuo sole calamitates: & ad hesternæ sortis contumeliam, impunè auro tinniunt. Istudne à Te, an à genere traxisti? Wolffios quidem ipsa cunabula ad Virtutẽ lactant: porrectam tamen à Parentibus normam, Tu singulari quodam exemplo vincis. Tuum est, adversæ congredi fortunæ, sinè planctu: acerbissimos fatorum ictus, sicca fronte discutere. Vindicavit sibi repentè immortalitas, JOANNEM KOS, Palatinum Smoleńsciæ. Erat Filius, Senator, hereditaria connubii Sorte, Marchio Gonzaga: Generum enim adopraverat Marchio Myszkowski Castellanus Sandomiriensis: ut Domum Gonzagarum Titulis magnam, sed orbam Ascanio & desolatam, succedaneum Columen impleret. Nondum ab hujus tumulo discesserunt Tuæ lacrymæ? plorari voluit Theodorus. Istum mærore excitas? properat ad plures Georgius Wolff, fraterni nominis Amor, Sanctioris animi Præses, animata lex candoris, exquisitæ idea conscientiæ. Illum Societatis Jesu pulla Toga, à prætexta accepit: in altum senii honorem placidissima pietas subvexit: læta actuosis fructibus senectus, vividæ proborum imitationi exhibuit: mors, plaudente Cælo, Tibi eripuit. Tantis enim funeribus premere Te voluit Numen Optimum: ut æquanimitatem lacesseret. Vidit mæstam, non fæmineo singultu: non clamoribus, & querelis, sed quadam doloris voluptate, perpessionis quodam solatio diffluentem. Vidimus in ipsa vultûs tempestate, serenitatem Animi, de suo vulnere triumphantis. Tu quidem lugubri Fratrûm Filiorumq: memoriâ, distingvis horas, condis

dis mensas, Aras commoves: verùm dolor iste, constantissimi duelli nutritor est. Crebriùs obacerbas vim sustinendi: ut multiplici palmâ se exerceat: ut triumphale supplicium à se exigat Animi magnitudo. Quid? an de injuria Superos postulâsti, cùm orbitatis vulnus incuterent? Nulla mitior aris victima, quàm Tui luctûs perfunctio. Neq: adeò fas est, ut jacturam Tui Sangvinis insolentiùs feras. Restituit imminutam Spem, non inficianda posteritas. Crescunt nepotes, quorum orientem Solem, præcipuis muneribûs adorat Respublica. Turritis enim Castellis & Castris, præfecit tantũ nõ infantes: quòd experimento didicerit, nullum firmius esse Patriæ præsidiũ; quàm Vestri Sangvinis Innocentiam &c.

Ad Illustrissimum Dominum. STEPHANUM POTOCKI *Referendariũ (ut vocant) Regni: dum Præfecturæ Leopoliensis Fasces judiciarios, auspicatò susciperet.*

DIgnitatem Tuam non in majus attollit Orator: sed demissionem admiratur. Provincia, quam adis, descensus quidam videri potest, non ambitus. Quid enim Tibi cum humilioribus subselliis? quem, ut Palatinæ Curules accipiant, pridem citato velut agone contendunt: quid cum forensibus querelis isti Animæ? cui discrimina Regni gravissima, Reipublicæ difficillima, se ingerunt, ut tranquillitatem reportet. Sacra etiam Serenissimi Poloniarum Augusti Majestas, ponderosiùs Tibi innititur, quàm olim adorati Joves pulvinaribus. Istud quidem Equestris judicii solium, Ducalibus nuper titulis se æstimavit: verùm Præfecturam

cturam hanc, primâ ferè juventâ, Decessor Tuus exercuit: ut, per gradus munerum, paulatim robur colligeret, ad gravius Clavæ pondus, ad summa fortunæ publicæ moderamina. Tu verò prima Senatûs fastigia pridem tenueras: nisi promptiùs Tibi foret salire etiam ad ima, ubi Te vel populi emolumenta; vel suspirantes legum ærumnæ sibi vendicant. Neq: enim laboras reptantibus curis eripi, sed obviare. Quòd excusato Pomeraniæ Latoclavo, Leopoliensis Castri Prorex esse non detrectes: istud propensioni Tuæ dedisti, & nostræ Felicitati: ne popularium studia damnâsse videreris: quasi trahere vel invitum non possent, quem immodico desiderio, penè cunctis invidebant. Ne à Te peregrini nos diceremur: ne ab agnitione dissiti: occurris Themidi Leoburgicæ, ut aurum inopiæ: ut sidus lunare nocti, quod plenum lucis orbem sæpè abrogat, sæpè exiguùm splendet: ne semel, & sibi tantùm crevisse videatur. Id si alius par faceret, cui non prodigio par esset? Sed Tibi infra populorum commoda, sunt honores: tantùmq; Te eminere advertis, quantùm in usus nostros dejici, libens admittis. Cresces deinde, non servato crescẽdi gradu: nunc Equestrem inter, Patrûmq. Ordinem medius: nunc in Senatu primus: modò Curiæ Fasces, & ardua Regni ministeria, Te sibi deposcent: prout utilitati nostræ experitum fuerit: nullo magnitudinis detrimento. Magnorum enim Luminum inclinatior etiam motus, Sphæram magnitudinis non amittit, sed explicat. Neq: aliter Fasces judiciarii Te adorant hodie, quàm veluti summa etiam honorum culmina, infra se despicerent, Te possesso. Nobilissimus

mus Urbis istius Leo, montibus suis altiùs porrigitur, & Cælos tangit, postquam optatissimo Stephani nomine spes suas cernit coronatas. Dum enim Aram Justitiæ tangis sanctior Aristides, pulcherrima Cidari frontem Themidis erexisti. Et jam Regio dominanatur supercilio Virtus & Æquitas. Ut verò etiam Divinam facias, satìs est Te exorari, ut, dum universæ Reipublicæ decurres munia: dum amplissimis Provinciis Purpuratus imperabis: perennem Te Coronam nostri habeant Fasti, & hæc Rossiæ Metropolis, aram Justitiæ.

Illustrissimo Domino
STANISLAO DONHOFF,
Palatino Polocensi Exercituum Magni Ducatûs Lithvaniæ Duci, Theologicæ Theses dedicantur.

Imago erat Angelici Doctoris, Solem pectore præferentis.

SOle altiùs promovit vultum Divus Aquinas: Te, Illustrissime Palatine, ut propiùs conveniat: supra Solis orbitam, pupillâ excessit: Tuam, Dux Invictissime, claritudinem Generis, Altitudinem Originis, ut assequatur. Illa Regio Donhoffios orbi dedit, quæ mundo Solem: illa Regna implevistis primi, in quorum ditione sol non occidit. Ab Iberiæ Throno, ad beatissimam, in Alexandro 2do Pontifice Maximo provecti Majestatem, meruistis etiam Cælo regnare. Diffusum deinde per Europam Nomen, excellentissimis triumphis donâstis Poloniæ: & hæc subitò seipsâ major fuit. Qui illi Tui majores? semper fortunâ, semper animo Maximi? quorum ingenium regium,

gium, manus Hectorea, robur in armis, pace probata fides, adeò saluti Regni affulsit: ut post Palatinas Purpuras, & semper principale in libera Gente fastigium, ingrata sibi videatur Patria, nisi aliquid par Regno contulerit. Avito fulgore incomparabilem gloriam unus vicerit. Illustrissimus Parens Tuus, Ladislaus Donhoff, Pomeraniæ Palatinus. In Viennæ excidio, cæsurus erat Orbem Terrarum Mahometes 4tus, nisi caput illud Palatinum, se, pro Orbe, objecisset. Tanti devotione Capitis, eversus est barbarus Oriens: serò damnavit gladii sui temeritatem, quòd Sangvinem Tuum delibaverit ac effuderit: Cujus pretio, fortuna Cæsaris, Europæ Salus, Orthodoxi Martis Victoria se appendit. Ita Divorum honoribus addito Parenti, concessa est fulgentissima Laurea, Tu Dux fortissime. Post Metellos, Camillos, Fabios, invenit in Te Respublica, quod Romani isti Consules inviderent, cujus comparatione sibi vilescerent. Contra Civilem Erinnym, contra Leonis Gothici famem insatiabilem, Libertatis, & Majestatis Vindex, exoratus Poloniæ Scipio, suscepisti integritatis publicæ arbitria, cùm in arcto salutis exitiiq; confinio fuissemus. Quo præcipitio Regnum exemit, conjectæ in Te potestatis periculum? Fluenti divisæq; Curiæ frontem attulit, ut mentem redderet: subduxit in meliores curas propè nolentem: persvasit velle, quod noluisse, pernicies erat. In arcem consilii, cogitationumq; Tuarum, confugerunt, Aræ, Penates, vita omnium. Quidquid enim tuendum non accepisses: periturum videbamus. Restituta per Te, Legibus Dignitas, Libertati concentus, Majestas Imperio, Dies Solio. O diem illum,

illum, non nostri tantùm, sed omnis ævi felicissimum! quo, reverentem ab occidente Solem, iterum Throno Sarmatiæ invexisti: Regemq; paci nostræ desideratissimum, planè reluctantem, duxisti ad triumphũ. Armatas laudes nuda narratione venustiores, penè obruunt Togatæ Virtutes. Sagacitas tractandarum rerum eminentissima, consilii peracutus vigor, liberalis animi comitas, efficacia cuiq; impetrabilis, & obvians: non gloriæ, quàm boni publici cupiditas major: & in tanto felicitatis cursu, nullus ambitus, nulla Justitiæ oblivio. Non similior Herculi Hector, ut Tu Socero, Gener. Adjecerunt enim Superi hanc Votorum Tuorum Coronam, quòd Sieniaviano Cælo cognatum Sidus accesseris: quòd Lubomirsciorum Eridanò influas. * Jam pridem ex Słuszkarum plenilunio, ex Jabłonovsciorum falcato Orione, ex Leszczyńsciorum redimito capite, ex Trophæis Potocciorum Laureatis, quidquid in Republica Herouin nomine censetur, Ceris Tuis allucet. Verùm connubiales Tædæ, non privatam, sed Christiani Orbis Spem accendunt. Lætissimam populis securitatem elicit, quæ magno jungitur Julia Pompeio, Sieniavia Donhoffio. Quâ nulla auspicatior, Lithvanici Martis, cum Aquila Poloniæ, unio, robur est, quo, supra anteacta Sæcula, caput efferunt Triumphi Sarmatici. Fave Dux fortunatissime, Tuis sub Armis certaturo Theologo: non peregrina auribus Tuis adferemus. Omniũ Tu Scientiarum Admirator, & Auctor, Theologantium discutiendis Problematis, Socratico ore locupletior, *procedis Libris pariter Fastisq; legendus.* ** Nobis verò in explicationem tantæ virtutis descendere, perpetuæ Thesis erit intelligentiæ. *Partim*

* Notatur affines prosapiæ, sua per insignia. ** Claudian.

Partim contractioris, concisi, & acuti Styli; partim in periodis numerosioris, & ad pompam instructi, non tamen amplitudine & circuitu, instar fluminis effusi, imaginem exhibui. Tum, quòd talis Eloquentia magis censuræ subjaceat; tum, ut pateat, ad unum eundemq; dictionis tenorem, Oratores adigi, redigiq; non posse: non secus, ac musicos in uniusmodi modulationis formam. Et hæc parcissimè delibata, ad internoscendum sufficiunt. Nam plures officiosas Orationes, Salutationes Regum, Principum; gratulationes Dignitatum, Prolusiones dedicationesq; Thesium, producit Liber, Titulo: Noctes Atticæ, seu Oratorum Societatis JESU lucubrationes Rhetoricæ, Anno 1740. Typis editus, Gedani.

§. 5tus.

Apostrophe.

VEstræ trutinæ, omnibus ad humanitatem Artibus Viri limatissimi, Vestræq; cognitioni, hæc ego proposui. Conferte, oro Vos, ea, quæ ex Tullio & Quintiliano, de ejusmodi genere dicendi, quod solam delectationem voluptatemq; Auditoris postulat, allegavi, cum injectis exemplis. Facilè apud Vos concludetis, ne latum quidem

dem ungvem, à legibus Tullii, doctrinisq; Fabii, discedere talem eloquentiam. Verùm quid? si hæc alius duro cognitor ore legerit? offendetur. Tametsi enim sua cuiq; vino saliva est; aquæ tamen puræ ac simplici assvefactis ingeniis, nullum meracissimum vinum à censura absolvitur. Quarè, non ex vano præsentio, pleraq; horum, levitatis, tumoris, affectationis; alia sophismatum, obscuritatis, falsitatis; alia styli à natura alieni, à judicio peregrini, verborumq; inaniter obstrepentium, aut nescio cujus Pòëtici furoris, insimulatum iri. Quid in hac arena consilii capiam? Ad Vestra Subsellia provoco: atq; unicam ego à Vobis, gravissimis in Republica, doctissimisq; Viris, summa animi moderatione, summis Judiciis, summâ Sapientiâ, prudentiâq; præditis, unicam Sententiam, studiosa voluntate, obtinere contendo. Scilicet, utrum hæc, quæ adduxi, Exempla, *Scienter, peritè, & ornatè* elimata sint? Insertæ omniũ oculis videntur esse tres istæ dotes, satìsq;

apertè relucere, in subjectis scriptionibus: ex his verò, ad similia, non difficilis mensura. Hanc proinde approbationem *Scientis, peritæ, & ornatæ* Eloquentiæ, credo, non cunctanter, vestra, rectisimi Arbitri, transfundet in nos indulgentia. Bene habet! vincimus! His enim, nec pluribus, verum Oratorem, veramq; eloquentiam definivit Cicero. Sed neq; pluribus definire potuit, spectatâ Oratoriæ scientiæ amplitudine indefinitâ. Dicit enim *Libro 2do de Orat: Ars bene dicendi, quod est scienter, & peritè, & ornatè dicere, non habet aliquam definitam Regionem.* Non itaq; falsam, non spuriam, non à veris Oratoribus, non à rationibus Reipublicæ alienam profitentur novi Oratores Eloquentiam; neq; talem, cujus quasi pestilenti veneficio, sive nobilissima afflata esse ingenia, sive tota infecta Respublica esse videatur.

At tandem, quibus exosa est omnis nõ depressa neq; humilis Eloquentia; damnationem urgent, proscriptionemq; promo-

vent. Quibus allegationibus? quæſo, perſpicite diligenter, Sciſcitatores intelligentiſſimi: neſcio enim quodnam ingens boni publici emolumentum ſeſe evolvet. *Novum iſtud*, inquiunt, *Eloquentiæ genus, licèt inveteraverit, & in animis plurimorum, à non modico tempore, inſederit;* id eſt: amiſſa pridem novitate, vividi ac veterani ſenii prærogativam induerit. *Licèt bonitatis opinione etiam prudentioribus impoſuerit;* id eſt: ipſam prudentiam ſapientiamq; fefellerit; &, quo nihil incredibilius dici poteſt, omni eruditione præſtantes in re literaria viros, quaſi magicis cantibus, à mente deduxerit. *Nihilominus, talem Eloquentiam, credite, omnino falſam, & à vero Oratore alienam, ut damnetis Ipſi, & ne diutiùs Rempublicam inficiat, opportuna remedia adhibeatis; indubitabile eſt:* deliberatione non indiget. Colligite ſarcinas novi Rhetores! in Gyaram parvamq; Seriphum, triſti edicto, deportandi eſtis! * Quid

ſi ali-

* Inſulæ ſunt Ægæi maris, in quas relegabantur exules Romani. Ut Gyaræ clauſus ſcopulis parvâq; Seripho. *Juvenalis.*

ſi alius quiſpiam, iiſdem rationibus, in rem ſuam uti vellet, & contrarium perſvadere? Sic *v.g.* ratiocinando: Genus iſtud eloquẽtiæ, laudatum à Tullio, probatum à Fabio, commendatũ à Plinio,* in animis plurimorum inſedit, atq; à non modico tempore, inveteravit. Perperam igitur novum dixeris: Sicut enim antiquitas novitia; ſic veterana novitas, invicem repugnant, & mutuò ſe interimunt. Invaluit ævo: invaluit Sapientûm æſtimatione, prudentium commendatione, omnibus Scientiis præſtãtium virorum judicio, palmam non falſæ non plebeiæ, non vulgaris eloquentiæ tulit. Prudentiam decipi, ſapientiam falli, judicia doctorum hominum, præſertim plurium, præſertim conſtanter & diuturnè, dementari, abſonum rationi eſt. Non ergo damnandam, non proſcribendam; ſed potiùs propoſitis novis præmiis excitandam fovendamq; in Republica eſſe talem Eloquentiam. Utrum talis Inductio non ſanctiùs? non fortiùs? non ad leges Dialecti-

* Ep: ad Lupercum,

lecticas, cuivis robusto, solidoq; Rhetori pernecessarias, congruentiùs vinceret? decernite Viri Sapientissimi. Mihi enim animus non gestit, opiniosissimum nescio quem, à persvasione sua deturbare velle; obfirmatiorisq; stomachi infixos sensus, quasi duello convellere. *

* Ludi apparatissimi, sed non tuì stomachi: conjecturam enim facio ex meo, Cic: ad M. Marium.

PARS

PARS 2da ORATORIA PRÆCERTATIO.

Ex Libris Romualdi Wyszkowskij

PRæclarè Cicero: Pòëticæ cum Oratoria, proximam cognationem intercedere aſſerit. *Finitimus eſt*, inquit, *Oratori Pòëta: multis ornandi generibus ſocius, ac penè par.* a Quæ propinquitas in ligata quidē oratione ſatìs apertè eluceſcit; ſed illa Eloquentiæ ſpecies, quam nonnulli Pòëſim ſolutam arbitrantur; alii medullam Svadæ vocant; adeò germaniſſima Orato-

a L. 1. Dial: de Oratore.

ribus,est; ut unâ eâdemq; cum illis formâ percussa esse videatur. Omnem enim florem, nervum, & succum Demonstrativi generis,in quo *omnis ratio ferè ad voluptatem Auditoris & delectationem refertur*, inquit Cicero: *b* ita splendide exhibet; ut boni Oratoris nomen tueri magnificè queat. Degustatâ igitur satìs, hâc sive semipòética, sive Oratoriâ sublimitate; quâ occasione, etiam de epidictico charactere nõnihil delibavimus; gradus faciendus est ad præstandum in quovis dicendi campo Oratorem. Verùm, ut ingenuè fatear, multiplex me, primo commentationis ingressu, nec modica circumstat hæsitatio: & sicut Romanæ Parens Eloquentiæ, principiô dicendi, totis artubus; ita ego mente consternor. Quid ab opere adornando manum absterreat,animosq; infringat? Lector Erudite, non nescius es. Seculum agimus, ut omnis literaturæ studiis perpolitissimum; ita in ferendis de Eloquentia politiore arbitriis, scrupulosum nimis, atq; acriter exquisi-

b Libro Partitionum Orat.

quisitum. Ad Criticorum Tribunal citantur Oratores, quorum nomen & fama orbem pervagata, videbatur longè, & altissimè supra invidiam eminuisse: Censoriis Virgis crudeliter vapulant triumphales ac Laureati viri;tantùmq; non ipsum illud *non hominis, sed Eloquentiæ nomen:* quâ appellatione Tullium insignivit Fabius Quintilianus. *c* Quarè, periclitationis causâ, constitueram expedire Prodromum, nec illum velitem, sed cataphractum, qui posset cujusvis aggressionis sustinere impetum, ac retundere. Sed operi dum accingor; incidit in manum liber inscriptus: *Theatrum Eloquentiæ, de magna arte Rhetoricæ, ex Scholis Palatinis Leopoliensibus*, recèns in lucem datus. Character Libri nitidus, planus: in verbis passim Tusculũ relucet: nulla peregrinitas obrepit: nulla affectatio; non tumor, non Entheus, non obscuritas. Omnis doctrinæ ac eruditionis genere, quali Rhetorem præcellere decet, locupletissimus est: Præterea solidus, or-

c Instit: l. 10. c. 1.

dus, ornatus, robuſtus, partitione accuratus, judiciô gravis, cenſurâ & trutinâ conſideratiſſimus. Cenſorium equidem ſtyli naſum dedolat; *d* ſed tantâ lenitatis ſolertiâ, ut nemo quiſquam meritò dolorem perſentiſcat; gaudeat quinimo, ſibiq; fortè aliquis in ſinu gratuletur, redditum ſe eſſe compotem propoſiti ſui. Oppoſitiones enim tanto ingenio redarguit ac exhaurit; ut nulla ulteriùs exſtet diſputandi materia. Iſtud autem laudatiſſimum in hoc Scriptore invenio, quòd dicere poſſit id, quod Plinius de ſe teſtatum reliquit: *Neminem atrociori ſcommate contrucidare condidici.* Gratias auctori debet Reſpublica Literaria: nec illi ſolùm, quibus amænior, ſublimis, & acuta elocutio perplacet; ſed etiam quibus ſubodioſa eſt non triſtis elegantia. Mihi verò auctor acceptiſſimus ſit, oportet. Tum quòd audentiorem me ad protrudendas lucubrationes, metu criminationum excuſſo, fecerit; tum quòd omnem

mihi

d Primus Lucilius condidit Styli naſum. *Plinius.* Non cuicunq; datum eſt habere naſum. *Martialis*, *i. e. acrimoniam dicacitatis.*

mihi laborem exemerit: adeò luculenter, ut ſi quid adjicere vellem; magno flumini rivulum inducerem: reclamante Ovidio:

In freta collectas alta quid addis aquas?

Nequeo tamen mihi temperare, ut nō publici juris faciam diſceptationem: quæ in ſplendidiſſimo quodam Optimatum ac nobilium Virorum conſeſſu, acri dimicatione, me ferè inopinatum exercuit. Rei narrationem, Eloquentiæ ſtudioſis, exputo, non inutilem, citra tædium accipies Lector: prolixiori fortè ſermonis itinere proferendam; id agam tamen, ut neq; expoſitio cuiquam faſtidium allatura ſit; neq; mora fatigationem.

§. 1. Polonis mos cultiſſimus eſt, ut Procerum juxtà, ac nobilitatis menſæ, quas ad humanitatem ſplendidè, ad lautitias exquiſitè inſtruunt; non obvio ſermonum vulgariq; ſale condiantur; ſed, quæ omnibus Muſis caput innutritum ſapiant, feruntur acroamata. Inde eſt, quòd doctarum

diſſer-

dissertationum jurgia, & promovent ipsi; & qui ingeniô certare prompti sunt, hos creberrimæ invitant cænationes: non ut gulæ obsequantur, aut vino indulgeant; sed ut doctissima quæq; copiosè disserant, argutè resolvant difficillima. Talis Epuli honorem, cùm declinare, citra existimationis jacturam, nullatenus mihi licuit; constitueram non improvidus adire. Sed cùm varia commentandi capita præcogito; nihil minus prædivinare animus potuit, quàm Thesim de vitiis Eloquentiæ ventilandam. Commodè tamen accidit, quòd, non longè antè, dum Pallavicini vindicationes per otium evolverem; simul Institutiones oratorias Fabii Quintiliani, Tulliiq; de Oratore Dialogum, non obiter inspexi. Sederũt hæc sinu memoriæ tenaciùs, quàm putabã.

§. 2. Ut ergò, in Corona lectissimorum hospitum, sedendi ordo dictatus est; discubuimus, prægustata promulsis, captatæ dapes, primaq; fames placata; illico primæ amplitudinis Persona, cùm principalibus

in Re-

in Republica gestìs muneribûs, tum ævô grandior, sermonem injicit de imminuta Eloquentiæ dignitate. Multa in laudem priscæ facundiæ, multa de Proavorum claritate, judicio, nitore, pondere dictionis, in medium attulit: illos aurum fuisse locutos; hâc verò, quam vivimus, ætate, affirmavit Minervam luteam coli: immo neq; hanc; sed, quæ Præsidi bonarum artium numini appingitur, noctuam dixit adorari.

§. 3. Auctoritas Viri eminentis, cunctorum ora in silentium composuit. Harpocrati Sacra facere videbantur omnes, meq; unum respiciebant. Nutu pro imperii signo accepto, datâq; præmeditationi brevi morâ, sic orsus sum. Curro in tuam sententiam, Principum Sapientissime. Quis enim perspicacissimis oraculis tuis inficias unquam ire præsumpserit, nisi temerarius? Tecum planè mihi, Vir Celsissime, est, semperq; erit eadem mens & opinio. Fuit quondam, fuit Oratorum ætas illa aurea; cùm Xenophontis voce *Musæ quasi loqui:*

in ejus

in ejus labris ſediſſe quandam perſvadendi deam; ſermonem ipſæ finxiſſe Gratiæ videbantur. e Cùm Platonis ore, Jovem ipſum locuturum fuiſſe, decantatum eſt; atq; ad vagientis cunabula convolâſſe apes, quæ tale Eloquentiæ nectar elaborarûnt, ut lingvæ, Divinitatem quandam tribuerint. Erat ille in diverſo Orationis genere *nitidus & comptus, atq; omnes dicendi veneres ſectatus* Iſocrates. *f cujus è ludo, tanquam ex equo Trojano* (ait Cicero. *g*) *innumeri Principes exierunt.* Neq; oblivione ſepelienda erit, illa Demetrii Phalerei Oratoriæ dignitatis virtus & copia, quæ trecentis ſexaginta æreis ſtatuis, ab Athenienſibus dedicatis, ad immortalitatem conſecrata eſt: *h* honore nondum adhuc juxtà, cum admirabili Viri facundia certante: dum ære Corinthio fuſæ imagines, aurei oris æſtimationi reſpondere non poſſent. Noſtra verò tempeſtate, horum omnium, neq; umbram reperies: adeò ætas hæc, priſcæ illius Oratorum gloriæ (Te præter ævi noſtri Toga-

tum ju-

e Quint. l. 10. c. 1. *f* Quint: ibidem. *g* in Orato: *h* Plutar;

tum juxtà Sagatumq; Neſtorem) ignara, inops, jejuna eſt. Olim videlicet, olim de Promethei luto, ut homines fingebantur toti aurei, ſic oratores. Sed jam gleba hæc melioris venæ pridem exolevit: Quantumcunq; nunc lutum exercueris; lutum erit. Non exiſtimo tamen Tibi credibile videri, effætam usque adeò matrem ingeniorum eſſe, ut nobilis metalli minora quædam, parciùs interdum, non projiciat ſemina, quæ ſolertiori culturæ & arti commiſſa, Eloquentiam proferant, ſaltem *tolerabilem.* In hunc ſenſum, credo, facilè deſcendis.

Hîc ſubſtiti pauliſper, dum ille animũ ſuum proderet. Et prodidit, dicens: non,, admodum Tibi contravenio, neq; aſſen-,, tiri vereor, tolerabiles haberi poſſe, novos,, iſtos, & quaſi muſteos Oratores. Sed,, quid hoc confert ad laudem & plamam,, præclariſſimæ Eloquentiæ? quid illos ju-,, vat vel ornat talis appellatio? Intuli ego: Eloquentiam, quæ id temporis prævalet, ſi tolerabilem eſſe libens admittis? æmulam

eſſe

esse, vel comparem, necesse est, approbes illi seculo, quo Cicero floruit. Ait enim Ille: *Boni perdiu nulli; vix autem singulis ætatibus, singuli tolerabiles Oratores inveniuntur. i* Adeò jam tunc, melioris monetæ Oratorum sterile solum fuit! Quos verò ille Oratores tolerabiles intelligit? Se, nimirum, atq; alios non ex toto aureos, nec omnib9 numeris absolutos, nec omnis censuræ vitiiq; expertes. Nam, ex Tullii, Fabiiq; sẽtentia, qui ad summam perfectionis in eloquendo pervenerit, nulla usquè ætas vidit, nulla visura est. *Quos maximos adhuc novimus Oratores, nemo inventus est, in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur. k* ait Fabius Quintilianus. Sed, ut hortatur Cicero: *l pulchrum & honestum est, in secundis tertiisq; consistere.* Ut enim nummorum partim æris, partim argenti, partim etiam auri signati copia, bene cupiditatem permulcet; sic Oratio locupletissima incedit, quamvis non tota auro sordida. Si itaq; Eloquentiam nostri seculi, non luteam,

i in Prooemio Dialogi de Orat: k L. 10. c. 2. l in Orator.

team, neq; ferream, sed æris, argentiq; prædivitem, neq; auri penitus inopem ostendero; si à Majorum forma, præceptionibusq; Tullii, Quintiliani, non degenerem demõstravero; næ ego vestris omnium suffragiis Civicam reportabo!

§. 4. Susceptionem meam jocabundus excepit alius Convivarum, inferioris subsellii, sed non mediocris notæ judicii, exclamavitq;: „Difficile onus assumpsisti!„ non æquè sustinendum. Vereor ego, ne„ tu tantus promissor efficias nihil. Cen-„ turiari possunt vitia, quibus laboratis Ora-„ tores novitii: quorum plaustra si in te„ congessero, multitudine occisus es. In-„ terposui vocem: dic, amabo, quæ majora crimina observâsti? fortè enim criminationum talis est consensio, ut, si unam jugulavero; internecione casuræ sint reliquæ. Ut non te paulatim discruciem, inquit, „ effundo omnia. Genus Eloquentiæ, quod„ hac tempestate invaluit, imprimis novum„ est. Est præterea tumidum, obscurum, „

„affe-

„affectatum, leve, vocularum lusibus & „argutiis refertum. Talis tu Eloquentiæ „Magistros Tullium, Fabiumq; assignabis? „priùs in hac manu nascentur setæ, quàm „hoc perviceris. Non habes, inquam, plura, quæ objicias? Plurima sunt (reposuit) sed his fac satis. Non est mihi laborandum ut satisfaciam, ajo. Nihil enim novum adfers, quod antiquitus, toto seculo jam lapso, objectum dissolutumq; non fuerit. Centum annos nata est hæc accusatio: jamq; edito Vindicationum volumine, olim anno 1649. ab Eminentissimo Sfortia Pallavicino, Romanæ Purpuræ atq; omnium Scientiarum facilè Principe, refutata perspicuè, contrita, explosa, difflata est. Atq; hinc argumentum sumere licet, non degenerâsse à pristina dignitate, pretio, splendore, hodiernam Eloquentiam. Si enim in accipiendis sugillationibus par est illi ævo, quo Perpinianus, Bencius Stephonius, Strada, Petavius, Gallucius, Ferrarius, Caussinus, Gvinisius, atq; ipse Pallavici-

lavicinus, floruerunt Oratores; necesse est honore, excellentiâ, opibus, non esse deteriorem. Insipida enim arbor, à nullo carpitur: aurea poma floresq; conspicui, carptorem plurimum habent. Sed quoniam mihi provinciam respondendi imposuistis; partitione causam expedio.

Prima vitio datur *Novitas*. Dico: primas boni Oratoris partes esse, studere novitati. An enim ignoratis primum Oratoris laborem esse Inventionem? Inventio, actio utiq; Inventoris est; quos verò Inventores nominamus? rei videlicet novæ commentatores, qui ingenii peculiari solertia, naturæq; felicitate præditi, ideas quasdam novas mente concipiunt, cogitatione adinveniunt, committunt arti, perficiunt, ac evulgant. Sic horariæ machinæ, pneumaticæ, pyrotechnicæ, opticæ, sexcentarumq; artium parentes, Inventores appellamus. Orator quilibet, primò Inventor est; an ergo hoc nomine laudabitur, nisi novâ singulariq; Inventiunculâ præpolleat?

Jam, si Inventionis virtus est, ut singularia, inexpectata, non obvia commoliatur; idem de constructione adinventi operis; idem de exornatione judicium esto. Nova enim & congrua respondere debent novis Ideis. Itaq; quilibet Orator novus erit.

§. 5. Ubi ego hæc protuli, circumspiciebant se mutuò Confessores: tenuit aliquanta Convivium taciturnitas. Tandem idem ille, qui primus disceptandi materiam jecit,meq; aspernari visus est,vocem
„extulit: Inventionem, partem Oratoris
„esse, nullus ambigit: sed hæc in eo tota
„desudare debet, ut Principum eloquentiæ
„normam, & Ideas, imitationi suæ præsti-
„tuat: ad quas, inventione, dispositione,
„elocutione, qui proximè accesserit; Ora-
„toris eximii nomen referet: qui ab his di-
„scesserit; ingenii deliratione insolens est.
Hìc ego abrupto dicendi genere usus sum. *O Imitatores, servum pecus!* ajebat Horatius. An tales Imitatores optatis, quales perstrinxit Quintilianus? L. 10. cap: 2dò.

Dum quidlibet illud frigidum, atq; inane extulerunt, antiquis pares se credebant. Quid magìs ad hominem accedit, quàm simius? quid verò etiam in ipsa imitatione magìs deforme, ac ridiculum? simius eximiè simium agit; sed tamen hominem æmulatur lepidissimè. Adeò, quæ naturâ discrepant, nullâ parilitate conferri possunt. An verò vos aliquem hominem invenietis, cujus bona ingenii, dos, natura & vis, à quibusvis aliis non dissentiant? Talem ergo, qui se ad alienum propositum effingere totum studuerit, neq; se ad suum geniū accommodaverit, perfectùm absolutumq; Oratorem fore creditis? Si nihil de indole animi sui præseferet Orator? Simium vocabit Cicero: *m* Si vultu sermonis, seipsum, quasi penicillo elucubraverit? Orator novus erit. Nolo mihi credatis, Quintiliano fidem habete. *Turpè est contentum esse id consequi, quod imiteris: nil crescit solá imitatione: quidquid alteri simile est; minus est illo, ut*

m Hic simiolus, me, in quem inveheretur, delegerat. Cic: Epist: 96.

illo, ut umbra corpore, imago faciæ: Omnis imitatio ficta est; iis verò, quæ in exemplum assumimus, subest natura & vera vis. *Cum ergo veteres, plurima in posteros tradiderint; à nobis cur nefas est reperire aliquid, quod antea non fuerit? An pictoribus illis similes erimus, qui solùm describere tabulas mensuris, ac lineis sciunt?n* Considerate, obsecro Proceres, an Romanus iste Præceptor non eò contendat, quò Manilius Poëta: o

Nostra loquar, nulli Vatum debebimus orsa:
Nec furtum, sed opus veniet.

Non diffiteor ego imitationem commendatissimam ab omnibus Eloquentiæ Magistris esse, maximèq; inculcari, tanquam principale adjumentum ad consequendam laudem boni Oratoris; verùm hæc ipsa imitatio tale aliquid in nobis effingere debet, ad quod hortatrix est, nec præstat ipsa. Quid tale sit? prodidit Martialis:

Victurus genium debet habere liber.

§. 6. Allatâ mentione genii, exterritus quidam leviter literis tinctus, sciscitatur.

Quos

n L. 10. C. 2. o Astron: l. 2.

Quos verò tu mihi genios adducis Elo-,, quentiæ præstites? Dic, boni an mali sint?,, ego enim mali genii nec meminisse, sine,, horrore, possum. Leniter hominem arridens, dixi: si malus Orator es? malum genium habes. Quis verò sit bonus Oratoris genius? ex Quintiliano jam discere potuisti. *Subest natura, & vera vis iis, quæ in exemplum sumimus*, inquit. Nempe, ut cujusvis hominis oris ductus, & conformatio, singularis, & nova est; diciturq; species; ita ingenii temperatio, fax, vigor, & forma, quæ cum illo nascitur ac interit, animæ quidam calor, sangvis, natura, vis, & genius est. Totidem ergo erunt Inventiones & formæ eloquii, quot hominum Ingenia oriuntur, & occidunt. Iterum oro, fidem mihi abrogate, Ciceroni concedite: *Innumerabiles sunt dicendi formæ*, ait L. 3. de Oratore, *Specie dispares, genere laudabiles.* Si innumerabiles? tot igitur novæ, quot ora consurgunt hominum, & Ingenia. Quintilianum etiam in suppetias cito. *Suos,*

 plurima

plurima dictionis genera, ut auctores, sic amatores habent: ut, si Speciem intueri velis; totidem ferè Ingeniorum reperies, quot corporum formas: &, ut musici, plurima varietate complent nervorum spatia; sic etiam plures eloquentiæ sunt facies: & omnis, quæ modò recta est, habet usum. p Dum ergo, vel non cognita Veteribus, vel non tractata dictionis argumenta, diversâ & novâ Inventione, elocutione, charactere, & modo, concinnant hodie nata Ingenia; non propterea conclamatam esse credite facundiæ veteris excellentiam, quasi profligatam & procumbentem.

§. 7. Fabii parenthesim arripuit, qui capiti mensæ vicinior consederat; dixitq; „Variis quidem dicendi formis uti potest „Orator, dummodò rectæ sint; sed nova „ista, quam laudas, facundia, non est recta; „utpote tumida, obscura, affectata. In responsione, personam ego præmonitoris sumpsi, atq; taliter præfatus sum. Vide, Illustrissime Domine, ne, quod tumidum existi-

p L. 12. c. 10.

mas, magnificum sit; quod affectatū, sublime; quod obscurum vocas, splendidū dici mereatur. Præcavet enim Plinius: q *Opus est examine, & librâ: incredibilia sint hæc & immania? an magnifica, & cælestia?* Vide etiam, quod genus eloquentiæ hâc virgâ percutis? Monet enim Fabius: *quod alibi magnificum, alibi tumidum est.* r Si de genere exornativo, seu demonstrativo sermo est, ut opinor; Fabium Magistrum advocemus. Docet enim L. 8. c. 3. *Illud genus Ostentationis compositum, solam petit audientium voluptatem. Quarè quidquid erit Sententiis populare, verbis nitidum, translationibus magnificum, figuris jucundum, compositione elaboratum, velut Institor quidam Eloquentiæ, intuendum, pertractandumq; dabit Orator.* Et Lib: 12. cap: 10. idem repetit: *Delectandi modus translationibus crebrior, sententiis amænus, velut amnis quidam est, virentibus utrinq; sylvis inumbratus.* Amnem inumbratum, non apertæ nimis nec satìs vel clarescentis, vel depla-

q L. 9. Epist. 26. r L. 8. c. 3.

deplanatæ dictionis opacitatem intelligat, nec ne? non disputo, Vos judicate. Affectationem, quæ satis *Institoris* nomine significatur, quæsitæq; magnificentiæ ancilla, ostentationis & pompæ soror est, prætereo. Istud urgeo: quid est, quæso, tale, quod admodùm turgidam & insolentem reddit facundiam? an supra modum se tollens oratio? utpote à natura ingenuè sua sensa depromente, difformis? *Quid? non supra modum elatus est Marcus Tullius?* exclamat Quintilianus L. 12. c. 10. Quantum verò præmium consecuta est illa Ciceronis supra modum insolens elatio, discamus à Fabio. Ait ille, L. 8. c. 3. *Non fortibus modò, sed fulgentibus armis præliatus est, in causâ Cornelii, Cicero: qui non assecutus esset tantùm, usitatè, latinè, perspicuè, utiliter dicendo, ut Populus Romanus acclamatione & plausu, admirationem suam confiteretur. Sublimitas, magnificentia, nitor, & auctoritas expressit illum fragorem: rectèq; Cicero, his ipsis ad Brutum verbis scripsit*:

psit: eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico. Atq; hic est fructus, præmiumq; & gloria ampullatæ, ut vobis videtur; ut Quintiliano perplacet, admirabilis & magnificæ Eloquentiæ: quâ, popularem acclamationem Tullius obtinuit. Altiùs hæc ab Oratore postulat, quàm *usitatè, latinè, perspicuè, utiliter* loqui: ergo altius aliquid & sublimius, quàm *ad quod significandum instituta sunt, nec aliud sonantia verba*: altius, quàm *naturæ, planè & ingenuè sua sensa explicare volentis*, propositum. Quòdsi in severioribus Rostris, admirabilis eloquentia, cum laude quæritur, neq; tumida est; quid in Ostentatione? ubi INSTITORIS ELOQUENTIÆ partes agendæ sunt, & omnes ingenii ac artis opes expromendæ.

§. 8. Medium sermonem intercepit quidam Conviva joco mordente facetus. Condonamus tibi, inquit, ulteriorem tu-„ midæ eloquentiæ defensionem. Istud ex-„ plica: obscuritatem dici posse splendorem,„ vis?

vis? ænigma est, solve. Objectum istud priusquàm retunderem, conjeci oculos in prospicientia de utroq; latere, aulæ conclavia: horum quædam de se subobscura erant; quædam textilibus Flandricis vestita, nonnisi malignam lucem admittebant. Tum ordior: palatium istud, in quo vescimur, non sumptuosum est? non magnificum? non affabre fenestris collustratum? Atqui seclusoria nonnulla opaciora continet: quædam penetralia pleniorem lucem aversantur, dubiam amant: hæc ipsa, quæ fenestris impendent, siparia, nonne aureo filo coruscant? sed ad submovendos solis fulgores, umbramq; advocandam comparata sunt: ideone de magnificentia, splendore, pulchritudineq; sua quidquam amittit augusta hæc ædes? minimùm. Idem de structura orationis intelligite. Claritas equidem, primas in Oratore partes obtinet; sed quòd una, & altera sententia, non protinus manu palpabilis occurrat; quòd interdum perplexior metaphora, vel figura

remo-

remotior, intertexuerit partem sermonis; non illico noctuas Atticas vobis fingite: hæc enim ornamenta sunt, non tenebræ. Refert siquidem scire, cui loquaris? & quod genus dicendi assumis? Si non plebeias aures pulsat oratio, sed plurimâ scientiâ perpolitas, si in ostentatione versatur; nihil de splendore orationis detrahent inserta quædam ambiguè dicta. Quæ, licèt sensu reconditiora sint, perceptioniq; non obvia; non iniquè tamen lumina orationis vocantur, & plerumq; in ancipiti vim omnem collocant. Confestim enim eruditæ sagacitatis adminiculo, perspicua cognoscuntur. Quis meridianum solis lumen obscurum existimat? nemo. Sed Asioni atram caliginem incutit? verùm Aquilarum palpebras, insatiabiliter pascit. Caliginosum ergo, falsò equidem, bubones & ululæ opinentur. Atq; talem sermonis opacitatem, neq; penitus ab artificio Rhetorico exclusit Tullius; cùm, in Oratore ad Brutum, eloquentiam picturæ comparat: quæ *alios horrida*, inquit,

inculta,

inculta, abdita, & opaca; contrà: alios nitida, læta, collustrata delectat: neq; ad acuenda vibrantiora lumina, subterfugiebat haberi subobscurus Ipse. Quàm enim illustre est dictum illud, in Pisonem jactum! sed simul quàm sensu absconditum? *Obrepsisti ad honores, commendatione fumosarum imaginum: quarum nihil habebas simile, præter Colorem.* Quid colore isto adumbrare voluit Orator? difficile captu reddit Homonymia. Vel oris duntaxat lineamenta, vel animi vultûsq; livorem, vel capitis Pisonii fumos, vel à Majoribus degenerem morum obscuritatem, vel scelerum tenebrionem; vel tandem quidquid dedecebat apertè dicere, voculâ unâ comprehēdit. Si suscipitis? majùs aliquid adferam. Quid obscurius esse potest ænigmate? adeò tamen non obtundit lumen Orationis; ut admirabilem fecerit ænigma Tullium. Dixit is, oratione pro Fonteio, in accusatorē Pletorium. *Pletorius matrem habuit, quæ, dum vixit, ludum aperuit; mortua, magi-*

stros habuit. Si quid intelligitis? enucleate hoc effatum.

§. 9. Urgere me cœperunt plures: Tu,, Oedipus esto, tortuosum hoc dictum enoda. Respondi. Non est Delius natator vēter escæ inanis: Asiaticam Vobis; mihi Tantali cænam indixistis: quidquid ex cibis ori admovere volo, injecta mox quæstio, bolum aufert: oculis gulosus, palato aridus sum. Fatigâstis me satìs: jam ego provocationibus meis, vos vicissim fatigabo. Docete, quæso, quid adeò confragosam reddit Orationem? An troporum frequentia? metaphoræ splendidiores? figuræ & sententiæ vibrantiores? sensus sublimes? arguti? pathetici? allegorici? hyperbolici? an ingenii acumen & vis, supra vulgi Minervam porrectior? atq; ut ait Seneca, ad dignitatem rerum exurgens? At enim, his coloribus destitutam Orationem, licèt alius longè sit character forensis Rhetoricæ, Cicero *humilem & obscuram* appellat; *trivialem* Svetonius: *cyclicam* Horatius: *de-*

pressam, obviam, & expositam Plinius: *proletariam* Plautus: *plampedem* Quintilianus: *gregalem* Seneca. Concludite igitur O Proceres! non Sphinge abstrusiorem dici posse Eloquentiam, quæ pluribus gemmis translucida, pluribus corusca luminibus est; sed potiùs, omnis magnificentiæ, sublimitatis, splendoris, leporis, argutiæ exsortem facundiam, obscuram vocari debere statuite, ut genus stemmatum inops, obscurum vocamus.

§. 10. Perargutum Viri festivi, qui mecum dimicabat, ingenium, inducias, & otium vescendi mihi concessit. Ut enim erat urbanitate limatus, atq; omni dicendi lepore affluens; intulit sermonem, themate percuriosum, & amænum, cumq; plurimo Pöetarum sale temperavit. Ex Martiali, Ovidio, Kochanovio, non parcè, nec timidè jocos jaciebat: nec deerat Oveni procacitas. Tandem paterâ meri plenâ, me poscit ad epotandum. Invitationi, quâ potui modestiâ, quâ cunctatione, restiti, dicens:

Hanc

Hanc triremem, Perillustris Domine, aliò verte; non enim didici tam portentosas Charybdes enavigare. Scio Vestra hæc Cymbia naufragiis esse infamia: caveo tempestatem, cui, sicco in littore, statio securissima est. Noluit ille mihi esse nimis importunus: sed tali allocutione iterum me in aciem evocavit. Paradoxum, inquit, illud,„ de Oratione ex abstrusioribus etiam, neq;„ adeò perspicuis sensibus, nobiliùs clarescen-„ te, ita dilucidè exposuisti; ut, si Solē, quem,„ cernimus, non habere luminis formam, as-„ serere velles; sed ex Leucippi, atq; Demo-„ criti obscurissimis atomis coaluisse; neq;„ aliud quidpiam radios solis esse, nisi subti-„ lissimas umbrarum lineas, fluitantibus cor-„ pusculis micantes; extorqueres assensum,„ approbationemq; cunctorum. Non satìs,„ tamen, ab inflati styli superbia vindicabis,„ nostratis ævi facundiam, nisi ab omni Po-„ etarum commercio, longè dissociaveris„ Oratores. Neq; enim negare potes, ho-„ diernam Rhetoricen, personatam, atq; si„

„dicere

„dicere fas eſt, entheatam eſſe. Enthuſi-
„aſmis, & fictione ut plurimum laborat,
„neſcioq; cujus Pòëtici furoris inſaniæ
„non temere inſimulatur. Ad hæc ego.
Veſtra, Perilluſtris Domine, cultiſſima, quam audivimus modò, ſermocinatio, ſolutæ orationis characterem præſetulit; ſoluta certè, imò ultra dignitatis limites diſcincta fuit. Ad quid ergo tot Pòëtarum acumina in hanc irrepſerunt? Fortè comitatis, leporisq; gratiâ; lepos igitur, & comitas, à Poëtis derivata, jam, te Auctore, non devenuſtat orationem. Sed entheum, furoremq; objeciſti? Vereor ego, ne tu Ciceroni etiam ſpiritum furoris Pòëtici velis appingere. Ubinam locorum? quærit. Ubi? dico: primâ in Catilinam Oratione. *Quousq; tandem abutere, Catilina, patientiâ noſtrâ? Quamdiu nos furor iſte tuus eludet? Quem in finem ſeſe effrenata jactabit audacia? Nihilne te nocturnum præſidium Palatii? nihil Urbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil hic munitiſſimus habendi Senatûs locus? nihil horum ora vultusq; moverunt?*

Nullum ego hìc entheum agnoſco, inquit.

Non

Non agnoſcis? inquam. Oſtendo extemporanei Carminis imitatione.

Quo tandem noſtrâ patientiâ abuteris uſque?
Quo tuus iſte furor, quo nos audacia ludet?
Quem ſeſe in finem tanta effrenatio jactat?
Sica cruenta Patrûm! a nil te, Catilina, pavore
Plebs percuſſa? nihil palatia ſepta maniplis?
Nil Urbis vigilata movet nox perpes in armis?
Nil horum ora Virûm? facies præſtricta Senatûs,
Et facies munita loci? &c.

Figuræ, Verba, ſenſus, impetus, & ſpiritus vehementior, non Ciceronis eſt? Et non Poeticus? Hoc itaq; in comperto habe: plurimas ligati Sermonis gratias in Oratoribus; plurimas ſolutæ Orationis Virtutes & decora, in Pòëtis reperiri, & non inconcinnè miſceri. Dicit enim Cicero. *Finitimus eſt Oratori Pòëta: multis ornandi generibus ſocius, ac penè par.* b Idcirco, nullo furore deſipit Orator, dum à Pòëtis egregiè tractatam aliquam theſim, vel ſententiam, vel metaphoram, vel emphaſim, vel figuram, vel periphraſim, in proſam vertit; aut non multum abſimili à Pòëtis

 motu,

a Non jam inter latera noſtra, ſica illa verſabitur. Cic. in Catilinam. b L. 1. Dial. de Oratore.

motu, per Hypotyposim, dat non viventibus sensum, spiritum, vocem. Ita Cicero lapides animavit. *Parietes hujus Curiæ, tibi gratias agere gestiunt*: inquit pro Marco Marcello ad Cæsarem. Et virgis ac securibus erubescentiam affinxit: *Consulis indignitatem Fasces erubescunt*. Ita & Plinius fingit in ingressu Trajani in Urbem: *Laborare tecta; ægros quasi ad salutem, sanitatemq; prorepere; alios fatis se vixisse; alios nunc magis esse vivendum, prædicare; matres fœcunditatis voluptate gestire*. Nō Ovidium solutum loqui putas? Quòdsi Quintilianum in meas partes accersero? triumphum mihi cedes, tuâq; manu, laureā Capiti impones. Docet is, Lib: 12. Cap: 10. *In movendo, Orator, & defunctos excitabit; & Patria exclamabit, aliquemq; alloquetur: & vi Superlationum se eriget: & Deos ipsos in congressum suum, sermonemq; deducet*. Cunctaq; hæc Ciceronis exemplis illustrat. *Vos Albani luci! Vos Albanorum obrutæ Aræ! &c.*

Non idem faciunt, afflati entheo Poétæ? Parum est, quod attuli. Poétas, Oratorum Principes exstitisse; Oratores verò Poétarum spiritu imbutos, & quasi animatos debere esse, Fabius demonstrat. Quid enim de Homero judicat? *Homerus omnibus Eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit: copiâ mirabilis: Oratoriâ virtute eminentissimus*. Quid verò de Platonis prosa oratione? *Quis dubitet*, inquit, *Platonem esse eloquendi facultate Divinâ quâdam & Homericâ præcipuum? Ut mihi videatur non hominis ingenio, sed quodam Delphico Oraculo instinctus*. Instit. L. 10. c. 1. Quid sentit de Demosthene? *Demosthenes, inquit, nonne omnes sublimitate, vi, impetu superavit? non insurgit locis? non translationibus nitet? non oratione fictâ dat carētibus vocem? satisq; manifestò docet præceptorem suum Platonem fuisse, plerumq; instinctis Divino spiritu Vatibus comparandum*. c Quid tandem de Historicis statuit? *Historia*, inquit L. 10. c. 1. *quodam molli ju-*

c L. 12. c. 10.

cundoq; ſucco, proxima Poëtis, & *quodammodo Carmen ſolutum eſt. Ad ingenii famam componitur; ideoq;* & *verbis liberioribus,* & *remotioribus figuris tædium evitat.* Cùm ergo totius ſolutæ Eloquentiæ partes omnes, Pòëtis exemplum & ortum debeant; cùm nobiliſſimi antiquæ Eloquentiæ Principes, Plato & Demoſthenes, ideo tales prædicantur, quòd Divino ſpiritu afflatis Vatibus comparari meruerint; quod tandem ſcelus infandum erit, ſi Orator in obſervatione Pòëtarum ſagaciſſimus, illorum ſingularia decora, motus, affectus, ſplendorem, ſublimitatemq; in ſuum colorem traxerit, conſimiliq; quaſi ſpiritu imbuerit ſermonem? Iſtud enimverò eſt, quod Idē Romanus Præceptor ſvadet L. 10.c. *1.* Plurimum conferre Oratoribus, Pòëtarum lectionem. *Ab his enim,* inquit, & *in rebus ſpiritus,* & *in affectibus motus omnis,* & *in verbis ſublimitas,* & *in perſona decor petitur:* & *attrita Ingenia, optimè talium rerum blanditiâ reparantur: forenſibusq;*

busq; exercitatos, reficit hæc velut ſagina dicendi. Qui reficiat? cùm, ex tali ſagina, ſi aliquantulum Orator, vel Hiſtoricus, in ſuum ſangvinem converterit; ſubito furore capitis agitabitur? Non furor eſt, ſed decor, & vigor, ſed ſpiritus, ſed recte cogitata, ſed ſublimitas & energia, quam Oratores trahunt ex Pòëtis, atq; orationis torno, affabre, tanquam gemmas inſerunt: vel, ut laudat Seneca, *translationibus* æquè in proſa, ac metro, conſpicuis, *quaſi ſtellis,* diſtingvunt Eloquentiam.

§. 11. Nondum ad calcem venerat mea dictio, Curſor armillatus apparuit: faſcemq; epiſtolarum bene magnum apportans, Præbitore coram, jecit in menſam. Rumuſculos continebant literæ: narrabatur de *Auguſtiſſimi Cæſaris Sacratiſſima Majeſtate,* de Rege *Chriſtianiſſimo, Catholiciſſimo:* Legebantur compellationes honorificæ: *Eminentia Sua, Sua Celſitudo, Illuſtriſſima Dominatio Veſtra.* Diſplicuit talis uſurpatio verborum veluti ſuperba & petu-

petulans, nescio cujus nominis imi subsellii Viro: Clamavit, abroganda esse adventitia hæc latinitatis inquinamenta: in deferendis honoribus, jurandum esse in verba Ciceronis: *Si vales, bene est, ego quidem valeo.* Nullus hospitum, ullo responso, imò, nec verbo hominem dignatus est. Ego verò. Vides Domine, omnes istos tãtæ sapientiæ Viros, habes tibi consentientes, nec ego refragor: Sed si tantum religionis antiquo mori tribuis, auctor sum, ut cùm officii causâ, Magnates, literâ, vel coràm conveneris; ita scribas, ita loquare: *Ego Reverentiæ Vestræ sic semper inserviam, non ut me Consulem, sed ut Candidatum Consulatûs putem.* d Tanquam enim redivivum Plinium, amplexabitur te ætas nostra: his enim verbis ille ad Trajanum Cæsarem peroravit. Vix loqui desii, ita magnus risus consecutus est, acsi Sardoam herbam edissent omnes. Ille verò quasi Bacchi Sacerdos, assâ squillâ rubicundior constitit.

§. 12. Relatio rerum per Europam, quàm

d Panegyrici ad Trajanum conclusio.

quàm recentissimè gestarum, curiosas omnium aures, diu suspensas habuit. Nunciabatur Ostendæ à Gallis obsidio, deditioq;: ab Edvardo Stuart, Coronæ Angliæ competitore, occupatum armis Edimburgum; insulam Corsicæ, Anglorum validâ Classe, infestari, & concuti: variiq; variis in orbis partibus, præliorum eventus. Sed nihil magis in stuporem vertit cunctos, quàm audire, de rebus Poloniæ, non modò arcanissima quæq; & nemini comperta; sed etiã, quæ nec in opinionis metum cuiquam venire poterant, ab extraneis perscribi, divulgariq; toto cælo à nobis dissitis, quasi illi consultissimi Patriæ nostræ Cives essent, & Cives Patriæ, domi peregrini. Ego interim omni periclitatione perfunctum me esse credidi: cùm repentè unus ex Procerũ principalissimis, his me adorsus est. Tu,„ fortè jam receptui canis, laurosq; & trium-„ phos, meditaris? sed nondũ prælia cecidere:„ fervent supra quàm dici potest acerrimæ„ in Europâ Regum belligerantium iræ:„ „neq;

„neq; tibi pacem concessam esse puta: si de-
„sint alii; me tibi adversarium objicio.
„Quidquid hactenus respondisti, ingenio-
„sa sunt, & fortia: sed tantam, in hyper-
„bolicis adulationibus, potiùs verò menda-
„ciis, licentiam, quis vestræ Eloquentiæ
„laudi tribuat? Hyperbolen magnificam
„debere esse, non pernego; nunquam ta-
„men à propietate, & veritate sermonis de-
„viam: secus, in deliria Pöetica degenera-
„bit. Vos verò, non modò à proprietate
„sermonis, omniq; veritate; sed etiam à re-
„gula rectæ sapientisq; cogitationis, in trās-
„versum agi, & abripi in superlationibus,
„tam clarum est; ut nullum excusationis
„modum subesse reputem. Dignitatem
ego Personæ præeminentis reveritus, hono-
re præcipuo prosecuturus, ita præfatus sum.
Qualem Socratem Platoneq; Græcia; Cras-
sum & Catonem Roma; talem te in Sena-
tu habet Polonia: dicendi videlicet gravi-
tate, & acumine judicii, longè eminentissi-
mum; ut, si Tullius pro sua Domo rem-

iterum

iterum agere vellet; Te, non alium causæ
Arbitrum sibi deposceret deligeretq;. Illū
ego proinde, Judicio tuo sistam. Sed priùs
accusandus est mihi Seneca, qui Ciceronē
superlationibus nimis exsultantem, in cæ-
lum extulit, dicens: *Illud ingenium, quod
solum Populus Romanus par Imperio habuit.*
Quid, si hæc audivisset Julius Cæsar? an
vaginâ ferrum tenuisset? qui nullum sibi
in quavis gloriæ arena vel parem, vel prio-
rem ferre potuit; non bellum Civile iterū
movisset, pro rapiendo Eloquentiæ Princi-
patu? Hunc certè honorem, cùm ipse Ci-
cero L. 3. de Oratore, Cæsari deferre vide-
tur; tum Fabius Quintilianus L. 10. c. 1.
Tanta in eo vis, inquit, *id acumen, tanta
concitatio; ut illum eodem animo dixisse, quo
bellavit, appareat: nec alius contra Cicero-
nem nominaretur.* Venit in partem cri-
minis Plinius Orator, qui Trajanum Impe-
ratorem *Optimis meliorem*, quòd non mo-
dò nullatenus verosimile; sed nec possibile
est, appellavit. Jam Consul ipse Romanus

aurem

aurem postulat; quantùm ille Pompeio *supra omnem antiquitatis memoriam effe-rendo* studuit! Nihil sunt Scipiones, nihil Paulus Æmilius, nihil Fabius Cunctator, nihil Marcellus, nihil secundus urbis Parens Camillus:

Romamq; Camillus.
Servando posuit. e

Nihil deniq; triumphatores omnes. Pompeius, Tullii præconio, omnem illorũ in pulverem redegit gloriam. *Plures*, inquit, *Provincias cepit, quàm alii concupiverunt: plura bella gessit, quàm legerint alii &c.* Quantùm verò assentari videtur Cæsari? Orat: pro M. Marcello. *Domuisti Gẽtes, multitudine innumerabiles, locis infinitas.* Quid loquitur? an fortè omnes populos, quos universæ terræ globus continet, subegit Julius Cæsar? falsum est: sed nondũ omnes etiam gentes effundunt se locis infinitis. An quidquid spatii, quidquid numeri cogitatione comprehendere possumꝰ, occupavit victor? à tam mendaci fictione abhorrebit non hominis tantùm, sed Uni-

verſi

e Manilius.

versi natura. Ut mittam Capuani Præsidis supercilium, quo Respublica, *tanquam Atlante cælum, niti videbatur*, inquit orat: pro Roscio. Contra Verrem, quæso, audite insurgentem Tullium. *Hic dolor tantus erat, ut Verres, alter Orcus, venisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam Cererem abripuisse crederetur.* Item: *Versabatur in Sicilia, alter non Dionysius ille, non Phalaris, sed novum quoddam monstrum, ex veteri illa immanitate conflatum. Non enim Charybdim, neq; Scyllam tam infestam, quàm istam, in eodem freto fuisse arbitror, qui multò se pluribus & majoribus canibus succinxerat. Cyclops alter, multò importunior.* Item. *Qui viderent Verrem, Equum Trojanum esse dicerent.* Ex omnibus Siciliæ adjunctis, combinationem circumstantiarum vocant, conflata est ista hyperbole. Quidquid enim fabulæ, quidquid Historiæ de Sicilia memorant, in depingendam Verris immanitatem contulit Orator: Dionysium, Phalarim, Scyllam,

Charyb-

Charybdim, Cyclopes, Plutonem, Proserpinam, Cererem, Orcum, & insuper Equū Trojanū. Enceladum, duntaxat, & Briaræum, Ætnæ suppositos, oblivione captus, memorare prætermisit. Hunc ergo Romanæ Parentem Eloquentiæ, à proprietate veritateq; sermonis, à rectæ, sapientisq; cogitationis regula excidisse judicabis? Non ita te ad summam sapientiæ limam perfecta provexit eruditio, ut hæc nō penetres. Ego, si per tuam indulgentiam mihi liceat, manifestissimum facere volo: in his, similibusq; aliis Oratorum hyperbolicis exaggerationibus, ne latum quidem ungvem à veritate propietateq; sermonis, atq; adeò nec à recta sapientiq; cogitatione discedere Eloquentiam. Et primò quidem, si *Naturæ ingenuè sua sensa explicare volenti*, respondet, obtemperatq; elocutio; quis eam à rectitudine proprietateq; sermonis censebit delirâsse? Atqui in omni tropica dictione, proinde & hyperbolica, ita rem esse, ut se natura ipsa pandere, ac enucleare vel-

le videatur; docere nos, non dico artis oratoriæ præceptiones; sed illiteratæ quoq; plebis villatica turba poterit. Non satagunt rudes illi magnificè loqui, nec didicerunt; frequenter tamen, neq; sentientes, vel metaphoras promunt, ut, gemmare vites, salire in herbam, lætas segetes; vel, si quid insolitum magnitudine, aut numero, aut raritate mirabile, vivâ expressione significare volunt; tantis incrementis, tam ementiente superjectione rem elevant; ut Oratoriæ Superlationis ambitionem superare videantur. Quo id præceptore, quæso, quo magistro? *Naturæ ingenuè sua sensa explicare volentis* ductu, & ingenio. *Quia naturâ est omnibus augendi res, vel minuendi cupiditas insita*, inquit Fabius L. 8. c. 6., *nec quisquam vero contentus est*. Id est: nisi explicationem animi sententiæ, ultra fidem auxeris; fidem dictis ægrè obtinendam, persvadere tibi non poteris. Quod ergo, naturæ impulsu, ad expingendos, quos de re objecta formamus, genuinos animi sensus,

rusticum tyrocinium perdidicit; id, si in artificium laudis, vel vituperii, Orator adhibuerit; à recta sapientiq; cogitatione, toto cælo exerrabit? Sed ex Fabii doctrina, rem luculentiùs pono sub oculos: Ait L. 8. c. 2. *Non quidquid non erit proprium, protinus improprii vitio laborabit. Nam translatio, in qua vel maximus est Orationis ornatus, verba non suis rebus accommodat. Quarè, proprietas, non ad nomen, sed ad vim significandi refertur: nec auditu, sed intellectu percipienda est.* Habes hìc Procerum Sagacissime Arbiter, & proprietatem, & veritatem sermonis hyperbolici. Nam, sicut in omni Verbi vel Sententiæ translatione, *impropriè loquimur, propriè intelligimur*; sic & in superlatione: & sicut in omni tropo, non quod verba in aures perferunt (quod colorem quendam falsitatis exhibet, ut cùm *prata ridere* dicimus) hoc in animi perceptionem obtruditur; sed quod ad vim significandi refertur, istud intellectu apprehendimus, verissimumq; agnoscimus; ita

& in

& in ementienti superjectione. Species enim translationis hyperbole est. Vel ergo omnes tropos, ex eo, quòd aliud verbis, aliud sensu, & significatione ingerunt, necesse est, falsitatis coarguas; vel si nullum, neq; hyperbolen; quæ ad hoc inventa & nata est, ut, dum augemus vel minuimus rem, ultra fidem & modum; ex magnitudine superlationum, elucescat apertissimè veræ virtutis, laudis, vel vituperii, recta mensura, imago magnifica, compar emphasis, condigna significatio, pathetica cōparatio. Velim ego intelligere, sitne ita scrupulosa aliqua schola, quæ hyperbolicam Orationem, tanquam à veri tramite absonam traducat; quomodo Ciceronem, in laudibus Pompeii, atq; Cæsaris, superjectionibus, ultra modum & fidem, assurgentem, explicabit? aut, quod tandem exemplum in charactere hyperbolicæ translationis statuet? Si dicet Principem aliquē, aut belli Ducem, clementiâ, Nervæ non absimilem; justitiâ Trajano, amore Patriæ,

K Corio-

Coriolano secundum; si felicitate Syllæ, virtute bellica Scipioni non cedentem; celeritate agendi, Julio comparem; idq; ex vero prædicabit; pulchra laus, & magnifica, ex locis comparatorum, vel similium desumpta, sed ex sensibus hyperbolicis habet nihil: quia nihil de ementienti superjectione. Si verò alius quispiam Orator eundem Principem, vel Ducem dixerit clementiâ nulli secundum, amore boni publici, incõparabilem, Virtute bellica, felicitate, audaciâ, celeritate, non Scipionibus, non Pompeio, non Julio Cæsari conferendum; idem omnino dicet, quod ille prior attulit: quia prudens Auditor non plus, neq; minus, ex vi significandi colliget, quàm quod Orator vult intelligi, laudari videlicet Principem, omnibus his, cum quibus componitur, jure merito annumerandum: *intellectu enim, non auditu, percipiendam esse metaphoricæ locutionis proprietatem.* Sed dicet, cum Ciceroniana emphasi, hoc est, cum virtute superjectionis, laudationi hyperbolicæ congeniâ.

§. 13. Silui. Conticescentem excepit, qui se mihi in adversarium obtulerat, aitq; Rectè pro domo tua, in re admodum difficili & ambigua, perorâsti: nec ego à te dissideo. Inductione tam perspicua, captum me, nec invitum habes. Memini enim dixisse Ciceronem: *parium comparatio, nec elationem habet; nec summissionem.* f Et ex Quintiliano, jam olim ab adolescentia, memoriæ insculptum habeo. *Mentiri hyperbolen; sed non ita, ut mendacio fallere. Conceditur enim, cùm res excedit modum, amplius dicere, quia dici, quantùm est, non potest: meliusq; ultra, quàm citra, stat Oratio; & ignoscitur, quia non affirmamus.* g Si quid ergo in tuis, ad me, compellationibus, ultra modum, & meritum, in laudem meam extulisti; ignoscimus, quia non affirmâsti.

§. 14. Epularis accubationis lex postulat, ut conditor cænæ, sumpto majore poculo, pro salute Primarii Convivarum, scyphum præbibat, singulos deinde ex ordine

f Libro Topic: g L. 8. c. 6.

dine poſcit, & provocat. Bibitur & pro ſalute Regis, Reipublicæ, Senatûs, Ducum, Procerum, Amicorum. Talis dum ferveret propinatio, dum unuſquisq; fauſtas in acclamationes prorumpit; *annosq́ precatur, quot ſumit cyathos*, apparuit mira Ingeniorum, facundiæq́; cùm diverſitas, tum copia. Nemo erat non diſertus; ſed nemo ſine perarguto acumine: rarus, cujus orationis filum non aliqua feſtiva urbanitate coloraretur. In gratificationibus votisq; fundendis, alii ex notatione Nominis, ex Honorum inſigniis, ſtemmatibusq;, alii ex circumſtantiis Perſonæ, loci, temporis, tam ſcitè rotundèq; compſerunt ora faventia; ut omnem ex Alcinoi hortis florem, in venuſtatem ſtyli traxiſſe viderentur. Paronomaſiæ, contraria, contrapoſita, ſimiliter cadentia, ductæ ex verborum conflictu argutiæ, ex gentilitiis ſcutis allegoriæ, acuebant ſententiarum vibrans lumen, loquendi concinnitatem mirè commendabāt. Erat, qui, in excuſationem egregiæ leporū ſvavitatis, Pöetam adduxit, dicens. *In*

In ſylvis lepores, in menſa quære lepores. Mar:

Inde orta quæſtio eſt, deceretne Oratorem talis dicendi character? Habuit inimicos, habuit patronos, peringenioſæ amænitas eloquentiæ. Nonnulli levitatis, inſulſitatis, ac vix non inſipientiæ damnabant ſales Oratorios: alii verò tales ſententiarū delicias, ad excellentiorem comitatis Svadæ gratiam referebant. Litigantium opinionum pugnam, ut dirimerem; utraq́; pars ad me detulit. Dic, ajebant, quid ſentis? „ qui omnes facundiæ labes excuſare; vel „ palpare promptus es. Vultu ad deliberationem nonnihil ſuſpenſo, digitum intendi ad menſam opiparè inſtructam. Iſta fercula, inquio, non ſolidum præbent corporibus nutrimentum? imò ſalubre & robuſtum. Non præberent verò æquale, miſſis tot lautitiis? tot cupediis? tot jucundis condimentis? præberent certò. Quò ergo pertinent inſperſi dapibus odores aromatici? quò dulciaria? quò mellibus incocti flores? quò turriculæ iſtæ ſaccaris oneratæ?

ratæ? quò deniq; coronati rosis calices? Ad sensuum blandimenta, ad oblectamentum gulæ, instructa pompa est. His ergo illecebris delibuta cæna sapit? simili verò quasi pabulo tincta Oratio desipiet? Sed dicitis: perquam pueriles, leves, & ridiculas esse illas similium vocum, illas pugnantium, secum commissiones. In summa, annominationes, & antitheta, ex Rostris præcipitare vultis. Facite, me non invito, si non totius Antiquitatis robore vos confregero. Annominatio, paronomasia est. Quid de illa docet Aristoteles? *Translationes*, inquit l. 3. Rhet:, *maximè probantur; cùm per æquivocationem nomen effertur.* Antitheta, contraposita sunt. Quid de his dicit idem ibidem? *Est enim hujusmodi suavis dictio: quoniam contraria patent apertè: multò magis, cùm ad se brevi referuntur.* Favet insuper argutiis, cùm Rhet: l. 3. c. 11. ait. *Quia nova placent; ideo sententiæ, quæ præter opinionem desinunt, delectant.* Probat sensus admirabiles Rhet: l.

2. c. 2. *Insitatiora sunt adhibenda: hæc enim maximè admiramur: admirabile autem jucundum.* Sed luculentiorem antiquitatis testem statuo Quintilianum L. 9. c. 8. docentem. *Magnæ Veteribus curæ fuit, gratiam dicendi, è paribus contrariisq; acquirere. Gorgias et Isocrates in hoc immodici: delectatus est his M. Tullius: & modum adhibuit non ingratæ voluptati.* Jam igitur Tullii delectationes nonnihil degustate. Scribit ad Atticum. *Fuerunt, quos fames magis, quàm fama commoverit.* Scribit ad Curium, de Caninio, unius diei Consule. *Scito, Caninio Consule, neminem prandisse. Nihil tamen, eo Consule, mali factum est: fuit enim mirificâ vigilantiâ, qui suo toto Consulatu, somnum non viderit.* Ludit in Verbo. *Olim Flamines, nunc Consules sunt Diales.* Dicit in Pisonem, nudum saltatorem. *Ne tum quidem, cùm illum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat.* Dicit pro Roscio, contra Chæream. *Idcirco ca-*

pite ſemper eſt raſo, ne ullum pilum boni viri habere videatur. Dicit contra Antoniũ, *Philipp: 3. En, cur Magiſter ejus, ex Oratore, arator factus eſt.* Jam Verrem, Siciliæ Prætorem, quàm acuto veru percutit & verſat! Nunc jus Verrinum exagitat: nunc extremam nominis partem, caudam verris appellat: nunc feſta Verrea derivat à verrendo; futurumq; dicit, ut Verres omnia verreret: mox Herculi, cujus fanum Verres expilaverat, apro Erymanthio moleſtiorem fuiſſe aſſerit. Tandem Cajum cognominatione gentili Sacerdotem, exſecratur, eò quòd ſucceſſorem tam nequam Verrem, reliquiſſet Siciliæ, neq; ſacrificâſſet. Cùm ergo vel in Auſonio legitis, Conſulatus Domitiani *faſtidiorum, non faſtorum nomine memorandos*; Vel in recentioribus: *multis caldmitatem ſtruxit calamus. Famæ aucupes, famis mancupia: Mulier, melle mollior, terræ naufragium, non virago, ſed vorago. Vir acutus in peſſimis, obtuſus in optimis; nec tam pernici, quàm pernicioſo ingenio*,

genio, & ſexcenta ſimilia; non pueriles, ſed Tulliani Ingenii ſales credite, qui non magìs Eloquẽtiæ, quàm argutiarũ Princeps eſt.

§. *15.* Senex quidam annis conſpicuꝰ, canis obſitus, vultu prænubilus, cum anhela tuſſi, talia verba ejecit. Ego verò „ has veſtras facetias, inſipidis ſalibus per-„ lepidas ut approbem, nunquam inducar. „ Damnoſæ ſunt, inutiles; à verâ eloquentiâ,„ & à rationibus Reipublicæ alieniſſimæ ta-„ les argutiolæ. Proſcribi è Regno debent, „ ne diutiùs Rempublicam inficiant. Senii Dignitati, honorem reverenter perhibens, dixi. Optimè ſeneſcentium politiorum literarum bono conſultum iturus es, Vir Splendidiſſime. Age, vel me auctore, omnẽ è ſcholis eloquentiæ florem, edicto ſubmove: protinus enim amœniora ſtudia maturescent: imò ſeneſcent procul dubio. Supplici tantùm libello, artes ingenuæ hoc à te poſtulant, ut, priuſquàm in ſangvinariã cenſuram deſcendes, Conſulem Romanum in Judicii collegam adhibeas. Si quid ille atro

atro calculo prædamnabit; ſubſcribes: Si quid ſecundùm amæniora Ingenia, pro argutiis decernet; tota mente & voce, cum illo conſenties. Et jam, neq; rogatus, dicit ſententiã Cicero. *Effugere ſi velim acutè aut facetè dictorum offenſionem; omnis mihi Ingenii fama abjicienda eſt.* loquitur in Epiſtola ad Pætum. Neq; ſatis habuit dixiſſe; docet inſuper L. 1. de Orat: omnino requiri *leporem, facetiasq; & eruditionem ſubtili venuſtate atq; urbanitate conjunctam.* Cur ita ſenſerit? cauſam adfert L. 2. *Vel, quòd ipſa hilaritas benevolentiam conciliat; vel quòd admirantur omnes acumen, uno verbo ſæpè poſitum; vel quòd ipſum Oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quòd eruditum, quòd urbanum.* Quid verò, ſi de Epidictico dicendi genere ſermonem Tullius inſtituiſſet? præripuiſſet certè palmam Quintiliano, de argutioribus ſententiis L. 8. c. 2. affirmanti. *Ingenioſa hæc & fortia, ut ex ancipiti diſerta credantur, efficiunt. Auditoribus etiam grata ſunt; quæ,*

cum

cùm intellexerint; acumine ſuo delectantur, & gaudent, non quaſi audiverint; ſed quaſi invenerint. Tuam ergo, ſancte Arbiter, opinionem, nunc exploro. Quoſnam, quæſo, Auctores, tanquam feſtiviſſimos, plùs odiſti? in tabulam proſcriptionis quos conjeciſti? quos eliminandos prædicas, ne diutiùs Rempublicam inficiant? An Svadam Civilem? Phænicem Rhetorum? Rarioris Atticiſmi admirabilem Eloquentiam? An verò Aloyſium Juglares? Petrum Labbe? Adalbertum Ines? Maſſenium? cæterosq; conſimiles, quorum admiranda Ingenii monumenta, continuò manibus eruditorum teruntur? At præjudicium antiquitatis pro ſe adferunt; claſſiciſſimis exemplis doctrinam ſuam illuminant, Cicerone Judice ſe tuentur. Illos Romana Civitate exciſos eſſe vis? cotem excitandis, acuendisq; Juvenum ingeniis accommodatiſſimam ſuſtuliſti. Sed ut nobiliſſimis adeò ſcriptoribus, aquâ & igni non interdicas; ex facili, placabiliſſima tua ſeveritas poterit exo-

rari.

rari. Distingvendi sunt diversi Eloquentiæ characteres; & protinus, malignis suggestionibus infuscata Judicii flagrantia cōcidet. Hanc verò varii generis Eloquentiæ conciliationem, si bene memini, præstitit peroptatò, in argutæ dictionis Ideam Præfatio. *Duo sunt*, inquit Auctor, *dicendi genera: quæ, cùm inter se longissimè distent; ad Oratoris tamen absolutionem ambo concurrunt. Alterum rectum, simplex, grave, quo res menti objicitur, qualis in se est; Alterum acutum, concinnum, ingeniosum, quo res alterius beneficio significatur. Utrusq; magna laus, magna utilitas. Illius crebrior usus, majorq; necessitas; istius major admiratio, & voluptas intensior: cùm Auditor, suo quoq; ingenio plaudat, quo, acumen dum perspicit; sibi videtur æquare.*

§. 16. Inter convivarum novissimos, extremus mensæ, non illiteratus equidem, sed juxta craterem disertior, vinoq; jam immodicè madidus nobilis homo, voce temulenta, inclamare cæpit. Bene ego didici:

dici: didici ego bene: hoc dico, bene didici. Orationem debere esse judicio naturæq; „ ingenuè sua sensa explicare volenti, con-„ formem: affectationis omnis expertem,„ & vacuam: nemo mihi contrarium per-„ svaserit. Jugulum ostento: & ad extre-„ mum spiritum, pro mea Rhetorica pu-„ gnabo. Ego, ut hominem non siccum, joco liberali respergerem, lusum adhibui, quo strenuum potatorem punxit Martialis.

Sextiliane, bibis, quantùm subsellia quinq;:
Bis decies solus Sextiliane bibis.

Mox adjeci. Multam à Sextiliano cōbibisti facundiam, Nobilis Domine. Verùm non à tali Magistro, leges dicendi accipimus Oratores. Non à Sextiliano, sed à Quintiliano tibi lumen petendum est. Duo sunt, quæ in disceptationem protrusisti: studiosa concinnitatis affectatio; & ab habitu naturæ, in eloquendo discessio. Utrūq; scitè expediet ac dissolvet M. Fabius. Dicit ille, L. 12. c. 10. *Quidam non esse naturalē eloquentiam putant, nisi, quæ sit quotidiano sermoni*

ſermoni ſimillima: contenti promere animi voluntatem, nihilq; accerſiti, ac elaborati requirentes. Quidquid adjectum ſit, id eſſe affectationis, & ambitioſæ in loquendo jactantiæ, remotum à veritate, fictumq;. Deniq; antiquiſſimum quemq; maximè ſecundùm naturam dixiſſe contendunt; mox Poëtis ſimiliores exſtitiſſe: falſa & impropria, virtutes ducentes. Vide Domine, ſi non ex tua mente omnia deprompta, & tranſnumerata ſunt? Non, ſi quis tuam, quam mordicus tueri te profeſſus es, Rhetoricam, libello mandare voluerit; plùs adferet. Quid de his judicat? quid illis reſpondet Fabius? *Mihi verò*, inquit, *aliam quandam videtur habere naturam Viri eloquentis Oratio. Cùm enim debeat delectare, movere, & in plurimas, animum audientis, ſpecies impellere; utetur iis quoq; adjutoriis, quæ ab eadem ſunt natura conceſſa. Quapropter, ne illis quidem repugno, qui dandum putant nonnihil eſſe temporibus, atq; auribus, aliquid affectatius poſtulantibus.* Agnoſcis jam aliam hominis, aliam Oratoris eſſe naturam? Illa *nihil, ultra verborum proprietatem elaborat* inquit Fabius; hæc verò efficit, ut *alius alio facundior, alius alio magìs dulcis in eloquẽdo habeatur.* Agnoſcis & affectationi laudabile ſtudium? Sed adhuc clariora adfero. Laudat Fabius L. 8. c. 3. genus eloquentiæ *Oſtentationi compoſitum.* Laudas Cicero dulce orationis genus, non pugnæ, ſed *pompæ aptum.* Aliudne tibi ſignificare videtur oſtentatio & pompa, & aliud affectatio? Si lexicum, ſi grammaticos conſulimus, ſynonima ſunt, ſicut enſis, & gladius. Vel ergo affectationis odio, omnẽ ab Oratore pompam, magnificentiam, oſtẽtationemq; excludis? & ſic Ciceroni, Fabioq; offenſus es. Vel, ſi hos Magiſtros, eorumq; doctrinam comiter obſervas; affectationis aliquam ſpeciem, non eſſe à vero Oratore alienam, fateare. Jugulumne etiamnum oſtentabis? In confeſſum tibi jam veniſſe reor hanc veritatem. Non igitur laſciviet Oratio tua, Nobilis Domine, ſi per-

arguta

arguta venustate dives & præculta fuerit: neq; inopiâ judicii laborabis, Magnifice Domine Rhetor, si ad genium temporum & aurium, purum omne, proriumq;, pro vulgari & plebeio fastidientium, sermonis titi lenocinium construxeris. Non etiam tibi metuendum est, ne, si splendore styli & ingenii exquisitè comptus fueris, non secundùm naturam eloquentissimus evadas; habet naturam Viri eloquentis oratio, sed *aliam*, sed singularem, sed à vulgari sermocinatione remotam, doctrinæ, ingenii, & artis præsidio comparatam. Tu tibi fingis Oratorem, si se supra vulgi Minervam sublimiùs nonnihil extulerit; illico ab habitu naturæ dissidere? minimopere. Ausculta Fabium. *Id maximè naturale est, quod fieri natura optimè patitur.* ait L.9.c.4. Perpende bene hanc Sententiam, atq; ex nobilioribus artibus: ostende mihi vel unicam, quæ concinnationi ad summam operis elegantiam, non enixè, non affectatè studeat? Ex prospectu Aulæ istius, objicit

se hor-

se hortorum topiaria. Quantas ex sylvestribus arbusculis, ex agrestibus herbis, ex aquarum salientium lusibus, quantas ingeniosæ pulchritudinis non elaboravit voluptates, operosa gratiæ consectatio! Natura ergo, comptioris accuratione formæ, corrupta, atq; pessumdata est? quinimo perficitur, exporrigitur, locupletaturq; natura mirificè. Idem pro florido argutoq; stylo, pro cincinnis oratoriis, pro quæsitæ compositionis pompa, argumentum esto. *Id maximè naturale est, quod fieri natura optimè patitur.*

§. 17: Longum satìs æmulationis cõflictum, discussit Clypeus Minervæ, à duobus bajulis in convivium portatus. Ferculum erat ingens, omnibus ferinæ carnis deliciis structum. Eminebat aprugnum femur: Alcium, Cervorum, Dorcadum coxendices assæ: assæ Phasides, querquedulæ, tetraces, attagenes, turdi in pyram accumulati. Humanissimus Convivator, dũ cujusvis palato blanditur, singulosq; porre-

ctis

ctis partibus, ad ſvaviter edendum inducit; nova diſceptatio nata eſt, de mediis parandæ amicitiæ. In hoc argumentum, plurima in medium allata ſunt; & varia. Erat, qui tenaciſſimam neceſſitudinem optimè eſcis, ac cyathis foveri aſſeruit, negavit alius. Hinc duos inter primariæ Nobilitatis Viros ſuborta concertatio, rupit brevem otii mei pauſam. Rogatus enim promere, quid ſentiam? moderationem adhibui: atq; ut neuter victum ſe, uterq; victorem crederet, dixi. Ampliſſimas clientelas & amicitias, munificentiis, annonâ, vinoq; ut honeſtè captari poſſe; ita utiliter obligari debere, vetus dictum edocet.

Plurima da, pete pauca, nihil rape, habebis amicos.

Verùm, talis conjunctio, ut in ſanctum illud intemerabilis neceſſitudinis vinculum coaleſcat; non mihi perſvadeo. Nam ollæ Amicitia, dicit Martialis:

Aprum amat, & mullos, & ſumina, & oſtrea, non Te.

Fortunæ itaq; Neceſſarios plurimos conquires epulo. Tuum verò pectoris, quaſi alte-

alterum Ciceronis, Torquatum, *h* qui teipſum æſtimet, non tua; Phænice rariorẽ puta. *Ex omnibus ſeculis, vix tria nominantur Amicorum paria:* inquit Cicero. *i* Et proverbium fert: *quinquaginta pepones probandi ſunt, totidem amici, antequàm unus inveniatur.* Nihilominus, quocunq; vultu, quocunq; nomine, familiarium clientelæ ſe tibi inſinuant; prenſandæ ſunt, & maximo quovis impendio bene emuntur. Quàm enim rara eſt, quæ certiſſimos, & ſuos Perſonæ Achates nanciſcatur; tam maxima quævis fortuna truncata & miſera eſt, ſi neceſſariorum conſortio deſtituta, nuda fuerit à copiis amicorum. *Parmenio amat Regem; Epheſtio Alexandrum*, ajebat magnus ille Orbis everſor; ambo tamen Macedonis Anima fuerunt.

§. 18. Sic à me pertractata ſententia, movit pulmones cuipiam ex hoſpitibus politiſſimo, ac magnæ eruditionis Viro. Ma-„ giſne aſtutè, an argutè magis (exclamat)

 nodum

h Neceſſarius, ac familiaris meus Torquatus Cic: pro *Syllâ.* *i* Lro de Amicitia.

nodum ita diſſolviſti; ut neutra pars à poſſeſſione, opinionis ſuæ dejecta ſit? Si omnia quæſita ſic expedies; duplex Ulyſſes vocaberis. Repoſui. Experiare, utrum non cordatiùs loquar pro Laribus meis. „Tum Ille. Quidquid ex Veſtra Societa„te libellorum prodit; plurimi ſemper æſti„mo, ac ſtudioſe lectito: illi tamen alle„gorici tituli, quos lucubrationibus præfi„gitis, prolixi, turgidi, faſtuoſi, depravatæ „Eloquentiæ notam præſeferunt. Quid e„nim ſimile in pervetuſtis opuſculorum lē„matibus offendiſti, quod noviſſimi iſti „commentatores excogitant? *Prodigium Seculorum, Imperium Reginæ Roſæ: Cælum meritorum; nova Gygantomachia, Phæ„nix, Pantheon, Ariadne:* & talia infinita. „Quàm diſſimili ratione Cicero ſuos inge„nii partus ſimpliciter indigitavit! *Liber „de Officiis, de Legibus, de fato, de finibus, „de natura Deorum &c. &c.* Quid ve„tat antiquis moribus inſiſtere? Citò retorſi rogatiunculam. Quid prohibet Antiquo-

tiquorum Inſtitutionibus morem gerere? Ad nova invenienda hortantem Fabium jam audiſtis: *Cur nefas eſt reperire aliquid quod antea non fuerit?* Eundem, ad Seculi *affectatus aliquid poſtulantis*, genium, ut ſe comparet Orator, monentem accepiſtis. Id facimus: præbuitq; ſpecimen Cicero. Quas contra Antonium declamavit Orationes, *Philippicas* nuncupavit. Cur non Antonianas? An Philippus ille, in quem fulgurabat, tonabat Demoſthenes, Propatruus fuit Romani Triumviri? Non. Sed placuit libelli faciem ornare Metonymiâ. Non exoſus eſt Lectori Tullius, translatione inſignitus? Cur igitur exoſa ſit allegoria, vel antonomaſia, vel Synecdoche, vel quilibet alius tropus, cujus vultum Libellus induat? Credo ego, Vir cultiſſime, Te non ex Animi tui ſententiâ, hæc mihi objectare voluiſſe. Probè enim perſpicis, eos, qui ſplendidam Libellorum frontem lingvis configunt, graviq; piaculo onerant, Cajo Cæſari comparabiles eſſe, qui, in are-

nam littoris maris ducto exercitu, post testarum cochlearumq; intentissimam piscationem, quasi Daciâ sub jugum missâ, vel Parthorum Rege capto, urbem triumphali pompâ invehi voluit. Quid, per Deū, insulsitatis committit Auctor, qui Allegoricam propositionem, partitionē, totiusq; operis summam & substantiam, initiali paginâ contuendam exhibet? Sit Liber tituli conspectu magnificus, dummodò res tractata paratu nō absimili polleat: quòd si intima extimis non respondeant? nulla tituli rusticitas, argumenti imperitiam ineptiasq; abscondet: imò prodet quandoq; sicut ædium frons inartificialis ac inelegans, substructionis totius indicat ruditatem. Non equidem contemptu excipimus Auctores, quos plana & simplex nobilitavit Inscriptio; vulgatissimum Antiquorum usum sequuntur; sed neq; illos coarguimus, qui, ad concinnioris seculi sive subtilitatē, sive affectationem accommodati, faciem lucubrationis, comptiore Metaphora investiunt:

stiunt: & isti enim exemplis, doctrinis, præceptionibusq; Antiquorum nituntur, ut ostendimus. Est quædam Sanctioris disciplinæ Virorum, Vitæ austeritas, quibus sordida, mollioris cultus & habitûs negligentia, miram apud homines veneratione conciliat; alios verò, nisi splendidè vestiti, graphicèq; ornati incesserint, nullius mortalium oculus dignabitur. Non dispar scriptorum scriptionumq; fortuna est.

§. 19. A latere, nescio quis, premere me ex improviso instituit. Auctorem, ait, Critices Oratoriæ præteriisti? non legisti forte. Isti ego. Non taxationis Auctorū, sed depulsionum partes agere me intelligis. Vestris ego inpugnationibus obluctari, provocationes retundere, convellere impressiones duntaxat conatus sum: voluistis enim, & propterea me in certamen evocâstis. Cum Auctore verò limatissimo, cui publica Scholarum utilitas operæ pretium est, nullum mihi dissidium intervenit, nulla pugna: sed sicut studiorum, sic

Animorum ſumma conſenſio. Cùm enim Ille omnes Animi nervos in propulſandam à Latinis Muſis peregrinitatem intendat; in reducendam ætatis aureæ Romanam elocutionem, omnes Ingenii defigat curas; quis humanioris literaturæ qualiſcunq; amator & cultor eſt, qui tam pulchri laboris improbator fuerit? Tantà certè in ſermone ſvavitas, in verbis proprietas, in ſententiis, etiam citra troporum lucem, limpitudo & nitor, ſummam ab omnibus approbationem elicit: ut, ſi Libellum oculis delibâſſet Cicero; datum olim Catullo præconium, huc tranſtuliſſet: *bujus Oratio pura ſic eſt; ut latinè loqui penè ſolus videatur.* k Recolo & Quintiliani pronunciatum. *Nominare Auctorem*, inquit, *ea parte,quâ reprebenditur,inbumanum eſt.* l Atq; ea demum lex ſacroſancta ſit oportet cuivis civilitate potiſſimo ſcriptori. Iſtius comitatis obſervantiſſimus, eam toto opere inviolabilem retinuit Critices Auctor, ab omni moroſitate alienus: quis talem in arbitra-

k L. 3. Dial. l L. 1. c. 6.

bitratu modum, in dijudicatione modeſtiã, ſatìs unquam demirabitur? Pluribus in prædicationem laudati operis,effundi cæperam; cùm loquentem, qui ſecundas inferebant menſas, opſoniorum magiſtri obturbârunt.

§. 20. Nova enim gulæ invitamenta dum important; atq; ſublato priore ferculorum apparatu, alia ex dulciariis lactariisq; cibis, ex hortorum fructibus, peregrinisq; bellariis, menſa, ad Archimagiri artẽ componitur; diuturnæ interim ſeſſionis pertæſi Convivæ, ab accubatione ſeſe proripuerunt. Famem, inambulando, opſonabãt Illi: quo tempore ego in amicitiam Candidiſſimæ Animæ penetravi. Erat in illo conſeſſu vir Religioſæ Vitæ Cultor Eximius, Severioris Inſtituti Sodalitii Antiſtes, doctus cumprimis, permodeſtus, affabilis, & ad omnes comitatis numeros factus. Ut primùm à publico nonnihil ſemoti, invicem conſalutavimus, ſtatim ille concertationes meas mirè dilaudare, reſponſiones probare, mi-

re, mihiq; plurimùm gratificari: ego verò extemporanei Sermonis hallucinationes, magnâ animi ſummiſſione, excuſare. Exin ſubtexuit. Cùm horum Diſceptatorum aſſultus, tuis cum refutationibus confero; manifeſtiſſimum mihi eſt, totam hanc Criminationum aciem, contra Ciceronem militare. Oſtendiſti enim liquidò tot exemplis, ſive Entheum, ut illi putant; ſive obſcuritatem, ſive tumorem affectationemq;, ſive improprium, & falſitatem, ſive lætiores etiam luſus & argutias, & quidquid illi objectârunt, oranti docentiq; Tullio quadrare ad amuſſim. Nihil horum ſanè agnoſco, inquam, ſed ſi ita eſt, quid Tu ex his concludis? effare. In hanc, inquit ille, opinionem ducor, quòd ipſe Tullius, ſi hoc ſeculo Rhetorem ageret; iſtis ille, qui te modò divexarûnt, Judicibus, tumidæ, entheatæ, à rationibus Reipublicæ alienæ, à recto judicio diſſonæ Eloquentiæ accuſatus, citatus, damnatus, iterum vaſa colligere, mare tranſmittere; iterum terra Dyrrachii

rachii tremere, atq; infelix Marcus Athenas exul demigrare compelleretur. *l* Ad hæc reddidi ego: Equidem ab Intelligentiæ tuæ perſpicaci delectu, nefas mihi duco, diſſentire: non abludit à vero, tua conjectio: Sed, rogo Te, animi tui ſenſum adhuc nonnihil ſuſpende: exitum certaminis opperiamur: fortè enim gravior adhuc armatura in procinctu eſt; & adſunt ecce compulſores. Ultro citroq; jucundiſſima conſvetudine dum ita perfruimur; invitos traxit nos citatiſſima alia poſt aliam, importuna ad concænationem invitatio.

§. 21. Tempeſtivis interea facetiis indulgebat cætus convivalis: credebam omnem provocationum æſtum jam conſediſſe: præſertim, ubi ſe largis hauſtibus ad amyſtidem convivæ provocare cæperant. Sed tandem unus ex primoribus, tali me quæſtione convenit. Appoſitè ſatìs nobis Oratores, ab objectis criminationibus, „ſive

l Appellante ad Dyrrachii littus relegato patriâ Cicerone, terra, horrendis motibus concuti, agitariq; cæpit. Exquiſiti Sacrificuli, & Divini, reſponderunt, quòd Tellus exulem Ciceronem ferre non poſſit. *Lycoſtenes.*

„ſive excuſâſti, ſive abſolviſti. Neſcio ta-
„men, quomodo ab ineptiarum crimine
„vindicare poteris quoſdam Rhetores, qui
„in argutiis omnino perridiculi ſunt: alii
„verò, dictis phaleratis inſolentes: tenerâ,
„usq; ad delicias luxuriantes dictionis la-
„ſciviâ: verborum multitudine, auribus
„inaniter obſtrepunt, & veritatem plerũq;
„ſophiſmatibus obſcurant. Talis certè O-
„rationis, tanquam ineptæ, & à rationibus
„Reipublicæ alienæ, Magiſtros exterminã-
„dos eſſe, docent nos Antiquitate funda-
„tiſſima exempla. Dic enim, quæſo, quoſ-
„nam Plato Oratores Civitate eſſe mulctã-
„dos pronunciavit? malos utiq; & non bo-
„nos. Contra ſe enim tuliſſet ſententiam;
„cùm Plato non minùs Philoſophus, quàm
„Orator Divinus fuerit. Quos Græci,Ro-
„maniq;? Lacedæmones, Athenienſes,Ca-
„to, Craſſus? Malos, & ineptos, qui bono
„publico prodeſſe nihil; quin potiùs obeſſe
poſſent. Iſtis me ſic oppoſui: ex Oracu-
lo tuo, Vir erudititiſſime, rem novam, orbi
univer-

univerſo incredibilem, & ante hunc diem
inauditam, tandem diſcimus. Primos ni-
mirum Eloquentiæ Principes,Demoſthenẽ,
Tulliumq;, Oratores omnium peſſimos
exſtitiſſe. Quos enim Græciæ Civitatibus
ejectos legimus Oratores? malos utiquè:
nempe *Demoſthenem*. Quos Tribunitiâ
rogatione fugatos ab Urbe? malos & in-
eptos: nempe *Marcum Tullium Ciceronem*.
Exilii fortuna utrumq; excepit: uterq; ſo-
lum vertere coactus eſt. Ergo hæc illos
ſcilicet malitia tandem confecit, occiditq;,
quòd in argutiis perridiculi, inanibus ver-
borum phaleris, auribus obſtrepentes, ſo-
phiſmatis veritatẽ obſcurantes, Reipublicæ
prodeſſe nihil,imò obeſſe poterãt. Et tamẽ,
quid, quæſo, encomii reportavit Cicero?
Cicero, dicit Fabius, *ſervatæ patriæ pœnam
paſſus exilium*. m Quid ab Athenienſibus
Demoſthenes? Erectæ Statuæ ſubſcripſerũt.

Si Tibi Vis Animo Demoſthenes æqua fuiſſet;
Non foret Æmathiâ Græcia capta manu! n

Hìc jam acri Judicio Tuo propalam
potes

m L. II. c. I. n Plutarchus.

potes deprehendere, quàm frigidi ratiocinii caſſibus ſtrangulat ſeſe, adeò ſplendida exemplorum deductio. Verùm ego, in hac re, penitus elingvis eſſe volo: vereor enim. Quid reformidas? interrogat ille. Tuam,dico,Excellentiam revereor, ne,candidè loquentem, ingratiis accipias: quarè, niſi cöegeris, ne hiſcam quidem ultra. Mihi verò, inquit, nihil magis cordi eſt, quàm candor & veritas. Ita aſſeveras? ita juras? contor ego. Non ſuccenſebit ergo Sapientia Veſtra, audaciæ meæ, ſi quid ſine blanditiis expromam? Ad hoc ille:Dic apertè, quod ſentis, non me offendes. Dicam igitur, quoniam cogis ut eloquar. *A tali, quem contra novos Oratores cudiſti, ſermone, caveat ſibi Reſpublica! vehemĕter ſibi caveat, oportet.* Punctum ille ſe oſtendit; preſsâ tamen commotiunculâ,ſubridens protulit: convicio percutis me? Non convicior, inquam, non convicior; ſed rectum Orationis Tuæ ſenſum à deceptione ſecernere, vindicare à fallaciis volo. Sophiſmatis veritatem obſcurantes, abrogandos, & procul à Republica arcendos eſſe, Græciæ quaſi Romæq; exemplo, voluiſti Oratores, tanquam malos, qui prodeſſe bono publico nihil poſſunt, imò poſſunt obeſſe. Atqui Tuus ipſe, quem propoſuiſti, ſermo, Sophiſma eſt;enormi laborat ſcatetq; Sophiſmate. Verùm ego iterum deprecor, iterumq; ſupplex ſum, liceat mihi vel ſilere penitus, vel citra tuam offenſionem, liceat mihi à veritate dicenda non abſcedere. Imò ut clarè demonſtres, quod objeciſti, urgeris, fatur. Tum ego.

Malum Oratorem dici, ſenſus admodum ambiguus, captioniq; multimodæ obnoxius eſt. Vel enim prorſus inartificiales, inficetos, inconcinnos, proletarios,&,ut Quintiliani verbis loquar, *qui humile & quotidianum ſermonis genus, compoſitione ipsâ diſſolutum.* o (quale naturæ ingenuè ſua ſenſa proferenti nunquam non ſuppetit) *ſectantur*, malos Oratores intelligis? Et tales quis Civitate exſcindendos eſſe reputavit?

o L. II. c. I.

vit? Non proderant, quia inepti; quia nõnisi ſuæ naturæ ſenſa enunciare gnari: Verum eſt; ſed etiam obeſſe non poterant, quia inepti. Non ſupplicii ſatìs erat, ſic ingenuos, à Roſtris ſubmoviſſe? miſsâ infamis exilii pœnâ. Vel, quales odioſis cõmaculatos phraſibus recenſuiſti; noxios, damnabilesq; judicas? Atqui iſti totidem commendationibus probabiles ſunt. Non argutiis perridiculos; ſed acumine vibrantes, ſed ingenii plenos vocari decet: non vanitate elocutionis luxuriantes; ſed pexa Oratione ſvaves, torno periodorum teretes, translationum lumine ſplendidos: non phaleris verborum obſtrepentes; ſed orandi validos, Iſæo torrentiores, *p* figuris exornatiſſimos, ſententiarum copiâ luculẽtos: non Sophiſmatibus obſcuros; ſed ſubtili argutâq; Rationum conſecutione conſpicuos: in omni tandem Rhetoricandi arte ſuſpiciendos, nobiliſſimos, & non plebeios exiſtimari oportet. Si tamen & hos, faculta-

p Iſæus Orator eloquentiſſimus, torrentis inſtar, in dicẽdo ferebatur. De hoc Plinius. *Magna Iſæum fama præceſſerat; major coràm inventus eſt.*

facultatis veræ germanæq; Eloquentiæ inopes prædicas; cur præditos facultate nocẽdi credas? Iſtiuſmodi certè, à Platone, à Græcis Latinisq;, expulſionis ſuffragio cõfixos fuiſſe, ſi quis ſibi vel per ſomnium fingit; fallit iſte, falliturq; vehementer, nullamq; fallacis opinationis fidem facere poterit. Vel tandem omnibus Eloquentiæ partibus & dotibus, ad prodigium inſtructiſſimos, ſed animi pravitate exitiabiles, lingvâ petulantes, turbulentos, moribus incompoſitos, ſeditioſos, rerum novandarum avidos, malam peſtem vocas Oratores? atq; tales, Græcis Latinisq; legibus, terrâ mariq; vexatos, tanquam à Reipublicæ rationibus alienæ fabros Eloquentiæ? Iſte tandem veriſſimus ſenſus eſt: à definitione enim Oratoris, quem *Virum bonum* eſſe oportet, diſcolores ſunt tales artificioſi ſermonis opifices. Verùm parte iſta non ferior ego, neq; novi Oratores percelluntur, quos Tu, neq; lingvâ adeò robuſtos eſſe exiſtimas, ut Eloquentiâ ſuâ Rempublicam pertur-

perturbare valeant; neq; animi perversitate & audaciâ tam profligatos, ut velint. Atq; ita structum illud conflatumq; tanto molimine Sophisma, in auras difflatum abit. Sed quid ego tantoperè desudo?

§. 22. Stitit impetum sermonis nostri „idem Interpellator, & ait. Acerbiùs quàm „exspectabam, in Adversarium invectus es. „Indignationem meam justam incurristi. „Non pertimescis? Ego verò suggessi: Insinuatione præviâ mansvetudinem utiq; Tuam occupavi. Ait Ille: nihil metuo. Pertentare te volui; tuamq; ingenii solidam vim perspectam habere. Nisi tamen Principum eloquentiæ documentis, dicta suffulseris; confutatio tua infirmabitur. Respondi: nihil peragam expeditiùs. Præstò enim est Quintilianus L. 2. c. 15. de Platone loquens. *Plato in illud hominum genus invectus est, quod facultate dicendi malè utebatur.* Et L. 12. c. 1. *Vis illa dicendi, si in malos incidat; & ipsa judicanda est malum. Nihil publicis, privatisq; rebus perniciosiùs*

est eloquentiâ, si malitiam instruxerit. Præcipuè tamen C. 16. L. 2. ita significanter præstat meas defensionis partes, ut in hoc argumento mihi, per illum, otioso esse liceat. Adducit ille in objectionem eadem ipsa exempla Lacedæmoniorum, Atheniẽsium, Romanorum: docetq; invectiva Legum fulmina contra talem Eloquentiam exarsisse, *cujus perniciosus usus turbaverit perverteritq; statum Civitatum*, inquit. Atq; adeò, non defuisse ullam Orationis Virtutem Rhetoribus illis, quos extorres fieri volebant edicta publica: sed propriã defuisse veri Virtutem Oratoris. Quarè, ne iterum aliquis Sophismatum fascinus obrepat, Vestræq; Sapientiæ palpum obtrudat, ad definitionem Oratoriæ rei, descendamus.

§. 23. Hìc verò certatim plurimi instare cæperunt. Enuncia, quam tu Eloquentiæ descriptionem statuis? Respondi. Non est cujusquam recentiorum Rhetorum audentiæ, ut, ex proposito suo, sive disci-

plinæ, ſive dictioni, ſive Perſonæ Oratoris præfigat. A Majoribus novos canones præfigat. A Majoribus traditas definitiones emendare, & locupletare velle, religio eſt. Quantùm aliquis ex ſuis perſvaſionibus adjecerit; tantùm amplitudini, Virtuti, Generiq; nobiliſſimæ Scientiæ derogabit. Quid enim? ſi omnem ego Orationem ſolidam, robuſtam, ornatam, claram, gravem, planam, non levem, non tumidam, non obſcuram, non affectatam eſſe voluero? Adjicite porro plura, ſi vobis placet: dicite, Orationem verbis affluentem, rerum copioſam, teretem, modulatam, ſententioſam: acrem & lenem: incitatam & lentam: callidam & apertam: virilem, ſed comptam: floribus diſtinctã, ſed maſculam: undequaquè tandem ſplẽdidam & magnificam eſſe debere: non pedeſtrem, non fractam, non frigidam, non mollem, non præpingvem nimis, neq; ſtrigoſam & exſuccam. Nonne hæc iniquè ego poſtularem? imò perperam. Nam quandoq; Virtus manifeſta, & publica, ar-

gumen-

gumentis non indiget, ſed exaggeratis laudum præconiis. Ipſa quandoq; decoctior exornatio inermem enervemq;, planitudo elangvidam; elumbem exſangvemq; reddet gravitas orationem. Supra modum ſe tollens elocutio, ubi non ornat, faſtidioſus tumor eſt; alibi verò majeſtatis, magnificentiæq; character. Exaſperata & humilis interdum dictio, vim exerit conciliandis animis mirificam. Omnis aliquando affectationis repudiatio, malè quæſita dicitur, affectata eſt; ſubinde autem *jucunditas Xenophontis inaffectata perſonat; ſed, quam nullâ poſſis affectatione conſequi*, ait Fabius. r Leve aliàs dictum, ſi accommodatè ſtrinxeris, pungit, delectat, vincit; atq; ex tempore, inopinanter pondus acquirit: & quẽadmodum perexiguus ferri conus, longo Orationis haſtili præponderat. Nonnunquam verò locupletiſſimum, &, ad aurium voluptatem, omnibus quæſitis lenociniis phaleratum ſermonem, velut cum Pallade natum aureum imbrem, miratio, plauſus,

 appro-

r L. 10. c. 1.

approbatioq; summa consequitur. Quid hoc rei, qui causæ est? quæritis fortè Proceres Sapientissimi. Consulendum esse Ciceronem arbitror; Ipse nos edoceat. *Amplitudo Oratoriæ infinita:* respondet Cicero & dicit L.2.Dial: *quæ non habet finitam aliquam regionem, cujus terminis teneatur. Sed quæcunq; in disceptationem cadere possunt, bene sunt ei, qui hoc se posse profitetur, dicenda; aut Eloquentiæ nomen relinquendum.* Accedit motuum animi in hominibus diversitas & multitudo incredibilis; neq; enim omnes Rhetorici muneris partes attigit Lucanus, dicens:

Flet, si flere jubes; gaudet, gaudere coactus
Et, te dante, capit populus, quam non habet iram

Omnes humanorum affectuum motus (quanta in his, quàm innumerabilis ferè discrepantia! quanta Judiciorum naturarumq; pugna!) solerter tractare, Oratoris est. Sive igitur horum; sive rerum tractandarum varietatem infinitam spectes nihil vel parum præstabit Eloquentia quæ

quæ semper æquabili, atq; innumeris observationum articulis, arctissimo tenore circumscripta sit. Namq; interdum magnifica & gravis; nunc versuta & subtilis, nunc lenis & instar alvei Nilotici redundans, nunc nivibus hybernis similior, concitata, aspera, & abrupta; nunc inculta, quasi agrestis & squalida; nunc ubere ingenio florida, comis, arguta, exultans, & festivis jucunditatibus perfusa; quasi Protheum induat, necesse est: prout ad moderandam Comitiorum undam, ad occupandas retinendasq; populi affectiones; ad excitandos, permulcēdos, recreādos, encomiis, & rectefactorū prædicatione attollendos animos; ad pervincendam rapiendamq; concionem, docendo svavior, movendo delectabilior, celebrando plausibilior, placendo efficacior, lenocinando utilior, objurgando admirabilior fandi ratio est. Atq; istud est, quod Fabius docet. Sic enim L. 12. c.10. suos Rhetorices Alumnos instituit. *Dicet Orator graviter, severè, acriter, vehementer, concitatè,*

 copiosè

copiosè, amarè: Comiter, remissè, subtiliter, blandè, leniter, breviter, dulciter, urbanè: Non ubiq; simul, sed ubicunq; par sit. Et hoc est Oratorem esse: scilicet, *Scienter, peritè & ornatè dicere.* Nihilominus, exiguum adhuc est, quidquid attulimus. *Amplitudo enim Artis infinita, non habet certam regionem, neq; terminum,* quo contineatur.

§. 24. Ut video, descriptionem Oratoriæ, vos omnino habere à me desideratis. Dicite qualem? Novam? Suspecta de novitatis vitio, contra Antiquitatis religionē insolens doctrina malè audiet. Novitatē, tanquam inexpiabile crimen, nostri Seculi Oratoribus objecistis; quid ergo? Si novā ego definitionemEloquentiæ moliri ausim, non me novæ Oratorum sectæ principem proclamaretis? & juremerito quidem. Nova enim Artis & scientiæ definitio, vel descriptio, vertit naturam rei definitæ, & aliā statuit: nec minùs deridiculo obnoxia est, quàm Aristoteli homo Platonicus. Si qui fortè

fortè sunt, qui Eloquentiæ novam descriptionem, qualem neq; Marcus Tullius cōminisci, neq; Fabius Quintilianus architectari quiverint, magno studio elaborarûnt, istis vos novæ Eloquentiæ Principatum deferte. Ego verò haud equidem tali me dignor honore; neq; si alteri deferatur, indignor. Ajo itaq; cum Isocrate: Rhetoricam esse Artem, *quæ novit ex parvis magna, ex magnis parva facere.* Ajo cum Quintiliano. Eloquentiam esse *bene dicendi scientiam.* Ajo cum Cicerone. Ars bene dicendi est, *Scienter, & peritè, & ornatè dicere.* ſ Quid ultra? nihil. Heu, decipis nos optime Magister Cicero! truncata hæc doctrina, quasi Popilii ferro amputatum Tullianum Caput ostentat. *t* Cur reformidas subtexere plenissimam expositionem? quam postuma ætas supplere cogitur, docendo: est solidè, clarè, judicio naturæq; convenienter, non leviter, non tumidè, non obscurè, non affectatè dicere.

Qui

ſ L. 2. de Orat: *t* Ciceronis Caput, ferro abstulit Popilius, olim à Cicerone, in causa Capitis, defensus.

Qui ad hoc reſpondere voluerit, quæſo, diligenter, diligentiſſimè, quæſo, conſideret, oportet. Quid tale tandem? An fortè quid velim ego? non. Non quid ego volo, ſed quid Cicero vult. Veritus nimirũ eſt; ne, dum tumorem rejicit; gravitatem & pompam exuat: dum perſpicuitati nimiùm ſtudet; ſublimitati, & robori officiat: dum plano ac mediocri campo incedit; ſimplex ac inornatus audiat: dum ad naturæ impolitiam ſe, antiquus homo attemperat; quæſitiſſimæ Arti figuram elegantiam & admirationem deripiat: dum affectationem proſcribit; ſplendoris, concinnitatisq; ornamenta amittat: dum quidlibet ingenioſum argutumq; levitatis damnat; leporem voluptatemq; ſermonis amputet, atq; omnem Ingenii famam abjiciat. Verbo: talem explicationem Oratoriæ meditatus eſt, quæ in omni dicendi genere, formâ, & ſpecie, quæ laudabiles æquè, ac innumerabiles ſunt, firma, inconcuſſaq; permaneret. Aliter enim, & Julius Cæſar dici poſ-

ci poſſet in orando levis, & perlepidus: qui (ut laudat Cicero) *tragicas res penè comicè: triſtes remiſsè: ſeveras bilarè: forenſes, ſcenica propè venuſtate tractavit.* u Et affectatione laſciviret Iſocrates, qui, ut laudat Fabius, in omni Oratione, *omnes dicendi veneres ſectatus eſt.* Et Meſſala Corvinus ranæ in modum intumeſceret, qui *in dicendo erat quodammodo præſeferens Nobilitatem ſuam*, ut inquit Fabius. x Et ut mittam plurimos, neq; Cicero ipſe, quem, ut L. 12. c. 10. memorat Quintilianus, *tanquam tumidiorem & Aſianum, in ſalibus aliquando frigidum, in compoſitione fractum, ac penè Viro molliorem, nimiis floribus, & ingenii affluentiâ luxuriantem, qui æmulabantur, qui invidebant, qui oderant, inceſſebant*: neq; ullus aurei ſeculi Orator inveniretur, cui temere contaminando, moroſa definitio, paratas non poſſet maculas affingere, ſemperq; perpetuus aliquis Rhetorum exagitator ſeſe oſtentare: Nullum mihi Oratorem dabitis, *in quo ego nihil, quod deſide-*

u L. 3. Dialogi. x L. 10. c. 1.

desideretur, *nihil quod reprehendatur*, *comperero.* Quid eligitis, o Proceres? Cum Cæsaribus, cum Tulliis, cum Isocrate, cum Corvinis, vitiosi? an cum istis, qui novitiorum vocabulum aliis tribuendo, sibi induunt, laudatissimi censeri Oratores?

§. 25. Sed jam, quid sit ipse Orator? audire cupitis. Ajo cum Catone. *Est Vir bonus, dicendi peritus.* Istud effatum adeò apud omnes Eloquentiæ Magistros in cõfesso est; ut Fabius Quintilianus non asseveret tantummodo, sed gravissimis rationibus demonstret L. *11.* c. *1.* *Eum, qui sit Orator, non tantùm Virum bonum esse oportere; sed nec futurum quidem Oratorem, nisi Virum bonum.* Quî id fiat? Causam ex eodem Magistro jam attuli. Verùm insigne dictum, millies dignum memoratu est: recogitandum iterum recito. *Vis illa dicendi, si in malos incidat, & ipsa judicanda est malum: nihil publicis privatisq; rebus perniciosius est Eloquentiâ, si malitiam instruxerit.* Perspicitis jam Viri Sapientissi-

entissimi, me nihil ad insidias, nihil fucatè, nihil arbitratu meo comminisci; quinam, ex vero, mali Oratores dicendi sint, quibus Platones, Catones, Crassi, missionem obnunciarunt? Illos videlicet tales fuisse, quos nefas erat *bonos Viros* dici: quorum linguam Appius caninam, Crassus impudentem vocavit. Date Senatum, date aures ipsi Crasso, quem L. 3. de Orat: Cicero inducit ita loquentem. *Latini etiam, si Diis placet, dicendi Magistri, hoc biennio exstitere: quos ego edicto meo sustuli. Noluì enim obtundi ingenia, corroborari impudentiam. Et, cùm impudentia ludus esset, cùmq; hoc unum traderetur; putavi esse Cēsoris, ne longiùs id serperet, providere.* Atq; ex his testatissimam rem videre licet: non argutiarum flosculis consitam, non affectatâ venustate calamistratam, non usq; ad delicias luxuriantem tenerâ dictionis lasciviâ, non phaleris verborum obstrepentē, (quæ phrases, solâ tumidâ & affectatâ opprobratione, in vitio sunt) non Sophisma-tis lu-

tis ludentem; ſed pari movendi, perſvadēdiq; artificio, atq; pernicioſo nocendi ſpiritu imbutam & fortem, fuerit licèt clara, nitida, non tumida, non levis, nō affectata, tanquam à veri Oratoris, à rationibus Reipublicæ alienam, damnant Platones, Catones, Craſſi, Eloquentiam. Talem ſcilicet, qualis in Julio Cæſare, ad evertendam Rempublicam, ad Libertatis Romanæ excidium accincto, regnâſſe proditur.

- - - *Calet omne nocens à Cæſare ferrum:*
- - - - - - - - *gladiis velut imperet ipſis:*
- - - - - - *invito moturus milite bellum.* y

§. 26. Ingeſſit ſe etiam in diſceptationem aliquis, quem, convena, an indigena fuerit? nullus dignoſceret. Sutile capillamentum, in gradus & annulos contortum, ungventatum, fusè, quaſi retrorſa barba, in ſcapulas projectum, videbatur Gallum referre; ſed braccæ tumentes, tibiæ lemniſcatæ, palliolum ſubſtrictum, multisq; plicaturis ſtriata veſtis, pudibunda corporis non ſatis probè abſcondens, vel Batavum, vel

y Lucanus.

vel Britannum mentiebatur. Lingva ipſi quaſi vernacula, quaſi Polona erat; ſed peregrinitate accentûs, vocibusq; exoticis ſic inquinata, ſic fracta; ut crederetur ex Oceani meridionalibus veniſſe ad nos Inſulis, ubi, teſte Diodoro Siculo, z feruntur naſci homines lingvâ bifariam à radice, diviſâ, cujus beneficio, & diverſarum avium cantus imitari; & uno eodemq; tempore, lingvis pluribus ſimul colloqui poſſunt. Apparebat tamen illum, à Pado nuperrimè adfuiſſe. Poſtquam enim aliarum Nationū Academias, Artes, & Scientias, mira gloriatione propè in aſtra evexiſſet; ſubjunxit de Patavinis. In Venetorum Republica,„ inquit, Patavii princeps Academia floret:„ ubi graviſſimus quidam Magiſtratus, Re-„ formatorum nomine, ex primaria Nobi-„ litate delectus, ſummâ auctoritate præeſt,„ rei literariæ; maximèq; invigilat, ne bonæ,„ artes, ab eo, in quo eſſe debent, ſplendo-„ re, degenerent, præſertim eloquentia. Hæc dicenti, ne viderer ego, nihil dicendo, omnia

z. Rerum Antiquarum l. 12. c. 13.

mnia. concessisse; notationem brevissimam injeci. Ex Definitione Oratoris, dico, & ex Crassi testimonio liquet, nihil sanctius constitui potuisse. An enim nulli & nullibi jam omnino prædagogi sunt? quos, si *Bonos Viros* nominaveris, abhorrebit à fide, vocis usurpatio? Pergit ille ulteriùs. Hunc
„quoq; in finem, inquit, in Gallia, Belgio,
„Germania, Moschovia, institutæ sunt Li-
„teratorum hominum Societates, quibus
„singularis cura est, ut bonæ literæ & Ar-
„tes, ad veram laudem, verumq; ut ita di-
„camus, gustum reducantur. Iterum ego succinctè. Laudatæ Universitates, tantùmne eloquentiæ ludum; vel istum præ omnibus ambitiosiùs, & ut maximè profitentur? Omnium Scientiarum, artium liberalium omnium, par ibi, ad veram laudem, cursus est: quænam verò facultas, scientia, & ars, præ aliis, debito splendore præemineat? ut fama obscura; sic ambigua palma est. Celebratissima Patavii Medicina: hæc ibi fastigium veræ laudis obtinet. Atqui nobis

de Elo-

de Eloquentiæ vitiis sermo est: istine malo schola Galeni medebitur?

§. 27. Hìc nonnihil commoto vultu ad me conversus memoratus hospes, quærit. Quamobrem ergo aliarum Nationũ,„
exempla, ad restaurandũ adeò necessarium „
veræ eloquentiæ studium, vos minimè so-„
licitant? De disciplinis liberalibus; ad ve-„
ram laudem revocandis, nec cogitatis qui-„
dem. Respondi. Ad *veræ laudis*, ut cum Cicerone dicamus, *a gustum*, promovendæ eloquentiæ, stimulos omnes, & calcar admovemus; explorandus tamen priùs est uniuscujusq; palati sapor, qui tam varius est, quàm ipsi homines, hominumq; naturæ, voluntates, ingenia, ac judicia. Quod uni prædulce; alteri fastidiosum & insulsum habetur: quod iste delectabile & acre sentit; alius veluti cibarium, triviale, & umbraticum rejiciet. Omnium ergo ingeniorum stomachis serviendum erit: id verò an possibile est, ut pertendam? Fingite me, in abolendos depravatæ Eloquentiæ nævos

N strin

a Facinorosi veræ laudis gustum non habent. Cic: Philip: 3.

ſtrinxiſſe calamum, atq; in hanc operam, vires omnes impendiſſe: Literatorum hominum Societates, quas Tu, multarum rerũ Vir peritiſſime, impensè adeò commendâſti, quo animo lucubrationem meam accipient? cupidiſſimo? an adverſo? Quid, ſi in longè diverſiſſimis formis veram Oratoris laudem collocatam apud ſe habeant? qui iſta corrigam? Probabunt fortè vocũ proprietatem, nitorem, puritatem; vereor etiam, ne aliqui meam in verbis accurationem, ut ſuperſtitioſam, vellicare præſumant; Orationem verò, ſi non translationibus elevata fuerit; ſi nullibi in acumina, in ſenſus profundos, reconditos, allegoricos, inexpectatos aſſurrexerit; tanquam humilẽ & depreſſam, in levi habebunt. Alium tibi orbem quære, dicent: nobis Plinius Magiſter eſt. Docet ille: *b* *Laxandos eſſe Eloquentiæ frenos: nec anguſtiſſimo gyro, ingeniorum impetus refringendos.* Docet, *Oratorem debere erigi, efferri, attolliq; ac ſæpè accedere ad præceps. Ut enim quaſdam*

artes

b L. 9. Ep: 26.

artes, ita Eloquentiam, nihil magìs, quàm ancipitia commendant: ſunt enim admirabilia, quæ maximè periculoſa, maximè inſperata. Si omnem ego Pöeticam audaciam, & entheum, ab omni ſoluta Oratione excluſum eſſe voluero; exclamabunt illi ſuo cum Novocomenſi Rhetore. *c* *At enim alia eſt conditio Pöetarum.* *Quaſi verò M. Tullius minùs audeat? Hunc omitto, neq; enim ambigi puto: ſed Demoſthenes ipſe, norma Oratoris & regula; quid audentius illo?* Tumorem quorundam Rhetorum culpare, atq; caſtigatiore ſtylo emendare ſatagam? Opponent & hìc Secundum admonentem: *d* *Vide, quantò major ſit, qui reprehenditur, ipſo reprehendente? & major ob hæc quoq;* (in crimen vocata,) *nam in his granditas ejus elucet.* Prolapſiones Oratorum recenſere aggrediar, atq; ſexcẽtis obeliſcis non malignè ego confodiam; iterum laudatæ Societates cum Plinio reſpondebunt. *e* *Tutius quidem per plana, ſed humilius & depreſſius iter.* *Frequentior*

curren-

c Ibidem. *d* Ibidem. *e* Ibidem.

currentibus lapsus, quàm reptantibus: sed his non labentibus, nulla laus; illis nonnulla laus, etiamsi labantur. Tales literatorum hominum Societatumq; oppositiones, quē cordatum Virum à susceptæ sententiæ proposito non dimoveant? præsertim, dum vulgare illud dictum mecum retracto: *Sapienti, ne digitum quidem movere temerè Philosophia permittit.*

§. 28. Aderat Convivas inter, Medicinæ arte inclytus ac nobilissimus Doctor, atq; in mansvetioribus studiis, non vulgariter excultus. Is tumori eloquentiæ consulturus, tale suggessit remedium. Opti-
„mum esset, inquit, ut, quibus excolendæ
„in literis Juventutis navanda opera incū-
„bit, illi Adolescentes doceant iter quoddā
„Orationis planum, maturum, modumq;
„loquendi, ut natura fert, pervulgatum,
„simplicem, nullis Allegoricis ambagibus
„perplexum: neq; sublime quidquam au-
„dere, neq; in altum Ingenia volare, & lu-
„xuriare permittant. Id agant potiùs, ut

humilem, imò humillimam dicendi rati-„
onem discant Juvenes: ornamenta verò, „
lectio, usus, imitatio, ætasq; illos docebit. „
Consilium istud sic fregi, sic everti. Excellens Domine Medice. Apud Halicarnassi populos, quoties Antistiti Minervæ, repētè, & ex insperato, promissa barba enasceretur, tristissimum id magnæ publicæ calamitatis præsagium fuit. *f* Quid? an similis ostenti auctor esse vis? omnino: siquidem Adolescentiam, gravi, maturâq; imbutam vis esse facundiâ. Nobilis certè pubes, rugosi ingenii, suspensæ, ac meditabundæ Orationis, ominosa est; quamvis hæc, in sensatis Viris maximopere suspicimus. Hinc, ait Quintilianus. *g* *Ipsum genus eloquentiæ, aliud alios decet: nam in juvenibus paulò uberiora, & penè periclitantia feruntur: at in iisdem, siccum & solicitum dicendi propositum, affectatione ipsa severitatis invisum est.* Quid tali doctrina inculcat Romanæ facundiæ Præceptor? quantùm ego intelligo, istud est: quasi diceret: Prætextati

f Theatrum Zwingeri. *g* L. 11. c. 1.

florem ævi, Togatæ velle ſapientiæ caſtigato pollere eloquio; eſt velle pueros ſcenã Catonis agere. Ut gravitatem Perſonæ commodè mentiantur; ne levioribus geſticulis figuram Campani ſupercilii deſtruant; adaptatâ barbâ, in acutum, vel rotundum deſinente, vultum coacti induunt, à lætitia ſua diſſidentem. Pueritia barbatula, vel portentum naturæ eſt; vel ſcenæ riſus: talis, tamq; inviſa eſt, in flore Adoleſcentiæ, gravitas Orationis. Qui nullas natus eſt gẽmas trudere, nullis floribus hilareſcere, dic mihi, quos tu maturos à tali frutice extorquebis fructus? Egregiè ſanè teneram plãtarum ſobolem promovebit Inſitor, qui nõ inſolentibus calamis exilire, non luxuriare foliis ramuſculos; non ubertim turgere gemmis; non læta frondium ſegete laſcivire ſinet germina. Quid tam ſeveræ putationis educet falce? olim ſtolones & truncos, vel nullis, vel malignis tantùm fructibus felices. Siderationis vitio miteſcunt nimis præcoqua mala; ideoq; feſtinantes

vieta

vieta, & caduca, non hyemis, non autumni ætatem ferunt. Tales ſpes proferunt tenera Ingenia, triſti ac ſeveræ Eloquentiæ innutrita: ſeveritatem Virorum pueri imbibent; inſulſitatem Infantium effundent Viri. Non mea, Hoſpites lectiſſimi; non mea hæc aſſertio eſt; ſed Fabii Quintiliani. Jacentis ille Eloquentiæ ſtudioſos ſic reprehendit. *Fugiunt, & reformidant quidam omnem in dicendo voluptatem: nihil probantes, niſi planum, & humile, & ſine conatu.* ITA, DUM TIMENT, NE ALIQUANDO CADANT, SEMPER JACEBUNT. *b* Quàm longè diverſæ rationis inſtituendæ Adoleſcentiæ conſilium ſedit eidem Fabio! Romanæ Juventutis primus & princeps Formator Iſte, Græcos æmulationi, Græcos Oratores, (quos tenerâ usq; ad delicias, Oratione laſcivientes depinxit) imitandos Scholæ ſuæ propoſuit. *Quominus*, inquit, *adjuvat ſermo, rerum inventione pugnandum eſt:* SENSUS SUBLIMES, *variiq; eruantur: promovendi omnes affectus: Oratio,*

N4 TRAN-

b L. 8. c. 5.

TRANSLATIONUM NITORE ILLUMINANDA: *non possumus esse tam graciles ut Græci? simus fortiores. Subtilitate vincimur? valeamus pondere. Proprietas penes illos est certior? copiâ vincamus.* i Quod Fabius monet, idem Cicero docet: cùm illam, delectabilis, arguti, sententiosi, floridi, altitudine & pompâ superbientis styli exercitationem, Candidatis Rhetorices, in altricem assignat. Dicit enim. *Dulce illud Orationis genus, sententiis argutum, verbis sonans & affluens, non pugnæ, sed pompæ aptum, gymnasiis, & palæstræ dicatum:* ORATORIS QUASI INCUNABULA SUNT: *cujus nutrimentis educata Eloquentia, ipsa se postea colorat, ac roborat.* Ita loquitur in Oratore. Sicut ergo alimentis infantiæ destituta proles, & lactis expers, ad solidos cibos compulsa, succedentem ætatem corpore invalidam, macilentam, gracilem trahit; ita, ex sententia Ciceronis, Eloquentia nunquam vivido sangvine incalescere, movere lacertos, aut par dignitati robur ostē-

tare

i L. 12. c. 10.

tare nunquam poterit; si non dulci prius ingeniosæ amænitatis quodam nectare, satìs lactata, imbuta, enutrita satìs fuerit.

§. 29. Finem jam respiciebat Conviva lis consessus; finem collocutioni ut facerē, dixi. Vergit tandem ad exitum vestra comessatio; & mea cessationem postulat contentio. Si quid non ad Vestræ Dignitatis Excellentiam, non ad politissimarum aurium cupiditatem, non ad omnium, qui hìc sunt, satisfactionem, si quid verborum attuli; id Vestræ nimiæ humanitati, quæ me penitus imparatum, quid loquerer? difficillimis aggredi quæstionibus voluit, tribuere, & condonare debetis. Tullii Fabiiq; doctrinis ac exemplis, presso insistere vestigio, propositum meum fuit; alterum: neminem dentatis jocis, amaris dicteriis consauciare nullum: non didici enim: neq; in tanta Procerum Quiritumq; majestatis facie, fas erat. Utrum susceptionem meā aliquomodo? vel utrum cumulatè impleverim? Suffragium Vestrum erit. Ut verò affe-

rò affe-

rò affectæ Diſſertationi, perfectio; principiis extrema reſpondeant; coronidem dictis imponat Fabius. Fatur ille. k *Sunt, qui omnem in dicendo nitorem, & quidquid ſtudio paratur, ut affectata, & parum naturalia improbant, verborumq; ſimplicitate, imitationem Antiquitatis affectant.* (advertitis? ut ipſum illud affectationis odium; illa ſimplicitatis naturæ, Antiquitatisq; æmulatio, tanquam affectatione ſingulari vitiata, vapulat?) VERUM ILLI, inquit, PERSVASIONE SUA FRUANTUR; NOSTRO LABORI DENT VENIAM.

§. 30. Perorantem me, luculentiſſimis proſecutus eſt gratiis, urbaniſſimus quidam ex Primoribus: atq; brevem, ſed, in adſtipulatione rei concertatæ, nimis prolatum ſermonem, his concluſit:

Scimus, & hanc veniam petimusq; damusq; viciſſim.
Scimus, & hoc nobis non amplius imprimet Ammon.

Confeſtim omnes ſurrexerunt de cæna; ſublatæ menſæ: Proceres in majorem Aulam deducti: mihi copia diſcedēdi cōceſſa eſt.

Ad M. D. G.

PARER-

k L. 11. c. 3.

P A R E R G O N
L I B E L L I.

CUrioſum te, Erudite Lector, noſcendiq; avidum eſſe conjecto: ſincerusne pronunciator fuerim, cùm initiò diſſertationis, de Eminentiſſimo Principe, ſacri Collegii Purpurato, Sfortia Pallavicino, ejuſq; vindicationibus, aliquid innui. Ut ſtudiis tuis obtemperem, ſpecimen aliquod de Illius Apologia proferre adigor omnino. Quis ille & quantus in Societate noſtra; quantus in ſanctiori Purpuratorum Patrûm ſenatu Vir fuerit? ſupervacaneum eſt, prolixè; injurioſum, breviter dicere. Ingenii, doctrinæ, eruditionis, eloquentiæ, ſapientiæ, vim incredibilē, loquuntur Auctoris libri Rhetorici, Hiſtorici, Philoſophici, Theologici, & de excolenda ad perfectionem anima, Divini. Concilii Tridentini Hiſtoria, monumentum Ejus immortale eſt. Virtutem, ſi quis ſupra Galerum porrectiorem, ad Eminentiæ titulos adjeciſſe Sfortiam, prædicare vellet; non ille argutias loqueretur, ſed ſummam modeſtiæ ſanctitatem laudaret magnificè. Ut vindicationum Societatis Ieſu librum ederet, commovit

vit quispiam indigni nominis momus, sparso per urbem famoso libello, in quo, cùm Societatis Iesu Constitutiones, tum ratio Studiorum, doctrinæ & scholarum, sinistrè traducebatur. Emundavit universam Societatem, à criminosis notationibus, luculenter, Auctor, ante Purpuram, calamò eminentissimus: sed jactatas contra studia humaniora accusationes, ut limpidè abstersit: ex his, quæ tantùm selecta, summatimq; attexam, colligi potest.

Culpabatur *imò Facultas Oratoria, tanquam à Ciceroniano dicendi charactere abhorrens, & longè dissona, & ideo nova audiebat.* Respondet Scriptor Eminentissimus. Ciceronem, tanquam exemplar, discipulis proponimus, laudibus ornamus, explicamus, imitamur. Sed quia multi aut inscientes, aut volentes aberrant, nosq; injuriâ perstringunt: sciant oportet: duo esse imitationis genera: alterum à pictura, quæ imaginem adumbrat sine motu: alterum, à natura, quæ artifex est arte ipsa solertior: ut, dum Patrem Filius reddit voce, viribus, gressu, & omni actione simillimum. Duæ pariter sunt laudes Orationis: altera, quæ consistit in hac, vel illa verborum conformatione: altera, quæ constat ex illis dotibus, quæ à natura sunt: veluti translationes, numerus, brevitas, perspicuitas, majestas, varietas, lepos, acumen, robur, & vis svasionis. Hæc sunt, quæ Ciceronem Eloquii Principem faciunt. Sermo verò omnium purissimus, est leviculus fructus, & tantùm appendix. Et ne fortè suspiceris, hæc esse ingenii, discessionem à Cicerone machinantis: ipsum audi Tullium. *Ipsum latinè loqui* (ait) *est quidem in magna laude ponendum, sed non sua sponte: neq: enim tam*

id

id Oratoris boni, quàm Civis Romani est. Audi et summum Tullii præconem Quintilianum. *Otiosi & supini si quid longius circumduxerunt, si aliquos compositionis certos pedes excerpserunt, mirè à se, quæ elegerunt, arbitrantur, Jurantq; ita Ciceronem locuturum fuisse: cum ea, quæ in Oratore maxima sunt, imitabilia non sint, ingenium inventio, vis, facilitas, & quidquid arte non traditur. Verba non sua spontè sunt bona, sed consvetudine, eaq; temporibus intercidunt, invalescuntq. L. 10. c. 2.* Quæ Orationis virtutem adeò non contemerant; ut Cicero, postquā Antonium, summis laudibus, tanquam exemplar Oratoris extulisset, subjunxerit, quòd *non admodum inquinatè locutus sit.* Et verò, quicunq: ingenii viribus Ciceroni proximiores exstiterunt, non sic desilierunt imitatores in arctum, ut eos Ciceroni indictum verbum efferre puderet: aut ex aliorum hortis multa decerpere, quin aliqua etiam, ad explicationem rerū Tullio intractatarum, procreare veriti sint. Sed in eo Tullium secuti sunt, ut quemadmodum ipse totus ex se aptus est, & succo suo stylum composuit, quo nullus vel ad alēdū dulcior, vel ad alliciēdū svavior, vel ad persvadendū nervosior, vel ad movendū cōcitatior: ità illi studuerunt easdem virtutes assequi, inquantum genus scriptionis exigebat. Hoc videlicet est, Tullianum esse, sectari opportunè virtutes & laudes, quas ille quæsivit: non rescribere, quæ scripsit.

Fateor equidem, illos, qui nos insimulant, quasi ab hoc Principe degeneres, diligentiorem anxietatē adhibere, in verbis Tullianis retinendis: Quid tamen? an ideo meliores? Personam quandam, per extima verba, Tullianæ dictionis, scriptis suis obdu-

cunt:

cunt: cætera exſangves, caſſi, frigiduli, inertes, acuminis inopes, rerum inanes *Quid aliud in ipſis admiremur? niſi Latinè, propriéq; ſcripſiſſe?* Sermonis munditiâ excellunt, non Orationis pompâ. Et hi quidem, ſi vel omnis vel præcipua ſcribentis laus in verbis eſt; utriq, Plinio, utriq; Senecæ, Quintiliano, & Gellio præferentur, qui tamen omnes Ciceronē, tanquam Numen eloquentiæ, venerati ſunt: ut nihil dicam de Iuſto Lipſio, qui per vividum illum dicendi ſpiritum, cum elegantia non quidem ſervili ac timida, ſed liberaliore ac ſecuriore conjunctum, vicit apud famam omnes, ante ſe proſam orationem profeſſos, poſt redonatam nitore latinitatem.

2dò *Atticiſmo & quæſitis argutiis indulgere peccareq; dicebatur hæc nova Eloquentia.* ℞ Non eſt unus Eloquentiæ vultus. Aliiab argutiis alieni, alio ſunt ornatu conſpicui, ſic rerum tractatarum poſcente argumento. Alii ſic arguti, ut argutiæ ipſæ habeant & acumen; & pondus. Utriq; non in ſolis argutiis ſoliciti, ſed in elegantia, in ſententia, in inventione etc.

Cæterùm, argutias, & concluſum dicendi genus, quæ tu Vir bone contemnis, laudatiſſimi Veterum tum ſcriptores, tum Præceptores in pretio habuerunt. Concluſum dicendi genus ſvadet Tullius in Bruto, Eundem, (licet ferme vel forenſia, vel politica in orationibus ageret,) has ejuſmodi ſalibus non parcè aſperſiſſe, oſtendunt Eruditi, & ſingulariter Famianus ſtrada. Quintilianus verò quamvis in opere didaſcalico, non præcepto magis, quàm exemplo patrocinatur argutiis. Nam vix periodum abſolvit, ſine cuſpide, ſine ictu. Antitheta eximiè collau-

collaudat in Rhetoricis Ariſtoteles. Quid verò? an Senecam, Curtium, Tacitum, Florum, omnes deniq; Latinorum clariſſimos reprehendes, quòd argutum, adſtrictumq; dicendi morem adamaverint?

Sed forte frigidas quæſitasq; argutias jure quis damnabit? Imò ne has quidem, quoniam in illis aliquid ingenii non planè agreſtis refulget, & multis placent: ceu aurum vel oſtrum adulterinum, nec pretio nec emptore caret, quoniam & artem requirit, & viſum delectat. Hæc quidem ornamenta Principes dedecent; popularibus conceduntur; ita leviores argutiolæ magnis quidem ſcriptoribus, & in civili vel politico argumento, minùs decoræ, at in oſtentatione, & in tenui argumento, vel mediocribus, non inconceſſæ. Scitè Tullius: *rara, quæ præclara.* Plures igitur ſemper mediocres, quam optimos invenias: itá plures, qui viliore illo, quàm qui ſplendidiore argutiarum ſubtegmine Orationem depingunt. Nec tamen ideo redarguendi: ſicut neq; plebeias nuptas reprehendes, quæ margaritis carentes, corallinis monilibus præcinguntur: neq pauperum menſas, qui ſaccaro emendo impares, defruto cibis dulcedinem inſpergunt: quamvis enim hæc delicatiorem palatum offendant, vulgares delectant: nihil verò ab omnibus adeò deſertum, quàm quod planè inornatum, atq; inſulſum.

3tiò. *Elocutioni, ſtudioſam in ſenſibus & ſententiis obſcuritatem objectabant.* ℞ Equidem *prima Eloquentiæ virtus eſt, perſpicuitas, &: quò quiſq; ingenio minùs valet, eò ſe magis attollere & dilatare conatur: ut ſtaturâ breves, in digitos eriguntur: & plerumq: infirmi minantur.* ait Quintilianus. L. 2. c. 3. Nullum tamen ſcripto; rem

rem in venies, qui obſcurus eſſe quærat. Docere enim vel placere ſtudet: quæ autem non intelliguntur, neutrum efficiunt. Sed cùm perſpicuitas ſit omnium maxima, ſimulq́, ferè inſociabilis ſit cum ſermonis majeſtate, ut notat Ariſtoteles; quam omnes quærunt; multi autem aut nimis aut infeliciùs affectant: quid mirum, ſi aliqui immodicæ granditatis anxii, obſcuriùs ſcribant? Certè faciliora ſemper ſunt, quæ dictione pedeſtria, & ſententiis levia: neq; Cicero major eſt in quibusdam Epiſtolis puerilem captum non præte[...]greſſis, quàm in Orationibus, ætatem, doctrinam, di[...]ligentiam, perſpicaciam requirentibus in Lectore.

Quæ tandem laus, clarè dicere, ſi nihil dicas? ſi expoſitum? illudq́, multis verbis de trivio ſumptis? Quod operæ pretium eſt, id multa lectione intellexiſſe, quod intellectum ſpernas? An inſulſam aquæ limpiditatem, vino anteferes? opaciori quidem, ſed ſimul ad voluptatem, ſimul ad robur validiori. Apertam quærimus dictionem, ſed non rebus inanem, non elangvidam, ſed ſucci plenam, ſed argutam, ſed vibrantem. Obſcuri quibusdam videmur, quia ſententiis prævalidi, acres, ac ſpiſſi: ita, ut caligantia ad vehementiorem lucem ingenia, *propriæ tarditatis vitium, in alienam obſcuritatem transferant:* quibus ingeniis nihil perſpicuum, præter inane. Ille cum laude planus eſt, qui, cùm lectiſſima, & conditiſſimè ſcribat, maximam, quæ cum his ſociari poteſt, planitatē conjungit.

4tò. *Rhetorica, incuria ſtyli inſimulabatur.* ℞ Rhetoricæ ad movendum & perſvadendum natæ, minima, eademq́, infima pars in ſtylo eſt. Ariſtoteles poſtremum, breviſſimumq́; tractationis locum ſtylo

impertiit. *Cujuſcunq́, Orationem videris nimis ſolicitam: ſcito illum non minus eſſe, puſillis occupatum: quære, quid ſcribas, non quomodo.* Hæc Seneca, Philoſophorum cultiſſimus, alieniſſimuſq́, à Magiſtris illis, qui ruſticitates ſuas honeſtant alieni leporis cotemptu. Potiùs igitur nimia ſolicitudo ſtyli vituperanda eſſet: quaſi pluris ſit Orationem pingere, quàm nutrire. Damus tamen ſtudium iſtud humanæ imbecillitati: faciliora ſiquidem, quæ minora. Et quoniam Eloquen[...]æv noſtri, non eſt jā illa ſangvinaria & pugnax, quæ [...]ud veteres, in judiciis, & ſenatibus, ad vincendum; [s]ed blanda, amæna, pacata, ad exornandum; ideo limatiorem ſtylum non jam ut ſuſcipiendum lectori largimur; ſed ut debitum, ſolvimus. Porro in ſtyli charactere, cùm is, pro uniuſcujuſq; genio, ſive ingenii naturæq́, temperamento, vel in ſummis Tullii præconibus, æquè elegans, nobilis, ac varius, legitur, variis enim palatis, variiſq́ ſtomachis, alia aliis jucundiora, & cognatiora ſunt, idcirco Romanæ Eloquentiæ Magiſtri Fabii Quintiliani, præceptum tenemus: *Quædam ſunt inimitabilia,* inquit, *quibus aut infirmitas, aut diverſitas naturæ repugnet, nec ſufficiat. Non igitur, qui maximè imitandus, etiam ſolus imitandus eſt. Quid nocet, vim Cæſaris? aſperitatem Cælii, dignitatem Pollionis? judicium Calvi aſſumere? Prudentis eſt, quod in quoq́, optimum eſt, ſuum facere: & cùm totum, quem elegeris, exprimere, penè ſit homini inconceſſum: plurium bona ponamus ante oculos, & quo quid loco conveniat, aptemus. l. 10 c. 2.*

Tandem 5tò. *In Grammaticis Inſtitutionibus, diuturnum, plurium, quàm fieri expedit, annorum ſpatio, ludi ignaviam pertæſæ Iuventutis tyrocinium, crimini datum eſt.*

℞ Atenim sol, plurium mènsium spatio, quàm fieri posse videatur, arborum germina, in agendis radicibus distinet, sine fructu, sine flore, sine fronde, sine nomine: sed non sine ipsorum bono: scilicet, ut eorum fæcunditas, non hyemis inclementiæ committatur; sed vernæ lenitati, tanquam beneficæ nutrici, reservetur. Ità pueri, si in illa vitæ primula tempestate, ubertatem suam effundant; nec potiùs in formandis Lingvæ radicibus contineantur; flores dabunt brevì deciduos, & infructuosos. Senectam, prudentia; juventutem ingenium: pueritiam memoria sibi vendicat: sationis igitur ætas illa, non frugis. Audi Quintilianum: *memoria*, inquit, *præcipuè firmatur, & alitur exercitatione: & in illis ætatibus, quæ nihildum ex se generare queunt, propè sola est, quæ juvare curam docentium possit.* L. 1. c. 1. Observat Philosophus, duplicis facultatis *recordationem* esse: *memoriæ, & reminiscentiæ.* Illa ex acceptarum imaginum copia, perspicaciq; organi acie, tota pendet: hæc multam rationis operam continet. Reminiscentiæ multò magìs, quam memoriæ fructus est, lingvarum adeptio: at pueri, quantùm memoriâ præstant, tantùm reminiscentiâ decedunt. Cū ergo tenerior ætas nullum interiùs Nomenclatorem gerat: cùm lingvæ præcepta ferè inexputabilia sint: cùm studium illud tædii sit laborisq; plenū: quæ duæ res sunt Pueris inimicissimæ, vix ullum honestatis, acerrimum voluptatis sensum habentibus: sequitur, multorum annorum hanc esse disciplinam: *quæ tamen*, monet Fabius: *nisi firmiter fundamenta jecerit: quidquid superstruxeris, corruet: &; sicut vascula oris angusti, superfusam liquoris copiam respuunt; sensim autem instillatis complentur: sic animi Puerorum.* Quali institutioni Emmanuelis Alvari Grammaticam, omnium optimam, & eruditissimam, quisquis ingenuè, ritèq; judicat, omnibus anteponet. Post quem, quidquid Scioppius, Vossius, moliti sunt, aliiq moliantur: ad sciendū fortè, sed nō ad docendū, opportuniora erunt.

Dices fortè: illos saltem, qui publicos literarum ludos aspernantur, ejusmodi Grammaticis inauditiunculis, compendium studii facturos. ℞ Non possum non mirari quorundam Magnatûm, ex ipsa sublimitate profluens infortunium. Indignati enim communem cum privatis palæstram, perinde faciunt, acsi, excluso sole, tanqam vulgari lumine, proprio tantùm peculiariq, funali, ad aspiciendum, uterentur. Quintilianus certè omnem mihi dicendi laborem parcit, aitq: *Optimus quisq, præceptor frequentiâ gaudet, ac majore se theatro dignum putat. Minores verò, ex conscientia suæ infirmitatis, officio quodammodo fungi pædagogorum non indignantur. Assvescat jam Adolescens, à teneris, non reformidare homines: excitanda mens, & attollenda semper est: quæ in ejusmodi secretis, aut quendam, velut in opaco, situm ducit; aut contrà, tumescit inani persvasione; deinde caligat in sole: & omnia nova offendit, qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. In schola verò, audiet multa corrigi: proderit laudata industria: proderit alicujus objurgata desidia: turpe ducet cedere pari, pulchrum superare majores. Et licèt ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est, L 1. Instit: c. 2.*

Tali responsionum spongiâ, quæ, nulla vexatione, summa facilitate, omnem deteriorem maculam ad

mundum abolet, ſubortas à centenis retro annis, ſive contra humaniora, ſive contra ſtudia Grammatices, cenſuras, cavillos, notationes; ita extinxit Sfortia Pallavicinus, ut etiamnunc erumpentes dicas, & quæ naſcentur ab illis, dicacitates, peremiſſe jam olim, atq; obtriviſſe mihi videatur.

FINIS.

Ex Libris Romualdi Wyszkowski

ERRATA.

Pag: 36. lineâ 20. *mairq:* lege. *mariq:*
Pag: 50. lin: 2. *eripuſſet.* lege. *eripuiſſet.*
Pag: 54. lin: 7. *comiate.* lege: *comitate.* & lin: 27, *in offico.* lege: *in officio.*
Pag. 70. lin: 12. *duntax.* lege: *duntaxat.*
Pag 85. lin. 12 *aſtis,* lege. *aſtris.*
Pag: 108. lin 19. *plamam* lege: *palmam.*
Pag: 156. lin: 5. *affectationi,* lege: *affectationis.* & lineâ. 8 *laudas.* lege *laudat.*
Pag: 157: lin: 4. *prorium.* lege. *proprium.*

Bibl. Jag.

mundum abolet, subortas à c
contra humaniora, sive cont
censuras, cavillos, notationes:
lavicinus, ut etiamnunc erum
scentur ab illis, dicacitates
atq obtrivisse mi

FIN

Ex Libris Romualdi V

ERRA

Pag: 36. lineâ 20. *mairq*: le
Pag: 50. lin: 2. *eripusset*. lege
Pag: 54. lin: 7. *comiate*. lege:
in offico. lege: *in offic*
Pag. 70. lin: 12. *duntax*. leg
Pag 85. lin. 12 *astis*, lege. *as*
Pag: 108. lin 19. *plamam* l
Pag: 156. lin: 5. *affectationi*,
& lineâ. 8 *laudas*.
Pag: 157: lin: 4. *prorium*. le

818